XENOPHONTIS SECTATORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

IOHANNES WEGEHAUPT
HAMBURGENSIS.



GOTHAE
APUD FRIDERICUM ANDREAM PERTHES
MDCCCXCVI.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
U. de Wilamowitz-Moellendorff prof.

Examen rigorosum habitum est a. d. XII. Kal. Jan. a. h. s. XCVI.

PATRI OPTIMO

EIDEMQUE

PRAECEPTORI CARISSIMO

S.

ARGUMENTUM.

Dio Chrysostomus Prusaensis inter eos imperii Romani scriptores est, qui in tanta litterarum non minus quam morum corruptione et propter virtutem et propter scribendi artem digni sunt, qui laudentur. neque id ei crimini dandum est, quod item ut Plutarchus [1]) veteres Graecos scriptores sequitur, nam talibus temporibus optimus is est, qui ex optimorum exemplo pendet. Dionem haud raro non suas, sed aliorum scriptorum sententias proferre et hic illic veteres imitari et editores multis locis iam adnotarunt et duo maxime viri docti huic rei studia impenderunt, Ernestus Weber [2]) et Paulus Hagen [3]) ille ut cynicae philosophiae vestigia per Dionis scripta persequeretur, hic ut demonstraret, quos scriptores Dio imitaretur „mythographus et mythologus, theologus, Homeri studiosus, artis aestimator". quos viros ut tertius sequerer et de Dione Xenophontis sectatore scriberem, non gloria plane novi et adhuc ignoti aliquid proferendi me adduxit, quoniam et Dionem e Xenophonte multis locis pendere iamdudum constat et scriptor ipse indicat, quanta auctoritate Xenophon apud

1) Dionem et Plutarchum amicitia inter se coniunctos fuisse dicit Breitung *(das leben des Dio Chrysostomus. Gebweiler 1887).* iam Volkmann *(das leben des Plutarch I, p. 110)* idem dubitanter coniecit e Plutarchi scriptorum catalogo. negat Treu *(der sogenannte Lampriaskatalog der Plutarchschriften p. 47).*

2) *De Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore (Leipziger studien vol. V, p. 79—268).* iam antea Ferdinandus Dümmler in *Antisthenicis (Halle 1882)* et in *Academicis* passim de Dione egit.

3) *Quaestiones Dioneae* (diss. inaug, Kil. 1871).

se floreat, cum in oratione XVIII, qua nobili cuidam amico exponit, qui auctores maxime legendi sint, Xenophonti primas fere partes tribuat eumque summis laudibus efferat (§ 14—17). sed sperabam hac quaestione accuratius tractata effectum iri primum ut clarius fieret, quomodo omnino Dio fontibus suis usus esset, tum ut concludi posset, quos praeterea scriptores secutus esset, ita ut iam minus coniecturis incertis niti opus foret.

Quem ad finem prima huius libelli parte Dionis orationes diligenter percensebo et quaecumque mihi Xenophonti tribuenda videntur, afferam, ut ostendam, quanta et qualia Dio Xenophonti debeat, deinde aliorum scriptorum, imprimis Platonis apud Dionem auctoritatem breviter illustrabo, postremo de iis orationibus loquar, quibus maxime de Dionis scribendi ratione aliquid disci posse puto.

I. QUANTUM DIO XENOPHONTI DEBEAT.

Nunc quoniam prima parte Dionis orationes deinceps tractare constituimus, primum dicendum est de iis, quae in usum Traiani imperatoris, qui Dioni favebat, scriptae sunt.

Orationis I, qua Dio: *τά τε ἤθη καὶ τὴν διάθεσιν τοῦ χρηστοῦ βασιλέως* (§ 11) enarrat, statim in prooemio, quod a Xenophonte ceterum plane alienum est, Xenophontis Convivii memor Dio idem fere de se dicit, quod Socrates: *αὐτουργοὶ τῆς σοφίας* (§ 9), confer Symp. I, 5 [1]). deinde quod Dio § 12 versus illos Homericos suum in usum explicat, similis extat Xenophontis sententia Apomn. III, 9, 10, quam Dio respicere videtur.

---

1) Cum singillatim adnotare nolim, quos quisque virorum doctorum locos recte iam cum Xenophonte composuit, hic eos in universum nominabo. sunt G. Dindorf, Xenophontis editor Oxoniensis et J. Geel *(Dionis Ὀλυμπικός Lugd. Bat. 1840)*, W. Schmid *(der Atticismus I, p. 147 s.)*, Barner *(comparantur inter se Graeci de regentium hominum virtutibus auctores*, diss. Marburg. 1889).

Xenophon:	Dio:
Βασιλέας δὲ καὶ ἄρχοντας οὐ τοὺς τὰ σκῆπτρα ἔχοντας ἔφη εἶναι . . ., ἀλλὰ τοὺς ἐπισταμένους ἄρχειν.	*Ἔφη, ὡς οὐχ ἅπαντας παρὰ τοῦ Διὸς ἔχοντας τὸ σκῆπτρον οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ταύτην, ἀλλὰ μόνους τοὺς ἀγαθούς* [1].

ad sequentem paragraphum fortasse rursus locum Xenophonteum afferre licet, Agesil. VIII, 8: *ἔγωγε κάλλιον κρίνω τὸ τὴν αὐτοῦ ψυχὴν ἀνάλωτον κατασκευάσαι καὶ ὑπὸ χρημάτων καὶ ὑπὸ ἡδονῶν καὶ ὑπὸ φόβου.* persaepe autem Xenophon eam sententiam exprimit, quam § 13 sub finem legimus de regis vigilantia, cf. Hipparch. VI, 3; Apomn. II, 1, 3; 1, 17; Ages. V, 2; 3; XI, 6. scribenti Dioni § 14 non dubito quin ob oculos versata sit Xenophontis de *ἐγκρατείᾳ* disputatio Apomn. II [2], 1, et cum diceret: *οὐδ' ἔσται ποτὲ ἐκεῖνος βασιλεύς, οὐδ' ἂν πάντες φῶσιν Ἕλληνες καὶ βάρβαροι*, certe ei in mentem venit Xenophontis Apomn. III, 1, 4: *ὁ δὲ μὴ ἐπιστάμενος οὔτε στρατηγὸς οὔτε ἰατρός ἐστιν, οὐδ' ἐὰν ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων αἱρεθῇ* (cf. etiam Dion. IV 25).

Videmus igitur haud paucos locos his in universum de bono et malo rege dictis inesse, qui Xenophontis vestigia prae se ferant. itaque multo plures eiusmodi locos in sequenti parte, quae est de regis singulis virtutibus, inveniri non mirabimur. Xenophon ubicumque suorum librorum potuit, de hac re dixit, non solum in iis, qui toti ad reges pertinent, scil. Cyropaedia, Hierone, Agesilao, sed etiam in aliis, ut Memorabilibus, Anabasi, Oeconomico, Hipparchico. et quamquam Lacedaemoniorum mores quam maxime distant a Persarum; tamen effecit, ut omnes sui reges, Agesilaus et Cyrus major, Cyrus minor et rex vere Socraticus, fere iidem

---

1) Etiam maior fit sententiarum similitudo eo, quod uterque scriptor forma rhetorica quae dicitur antithesis utitur. de qua vide quae Schmid l. l. p. 172 disseruit. non autem assentior novissimo editori de Arnim, qui codicum scripturam *μόνους τοὺς ἀγαθούς* mutavit in *μόνον τὸν ἀγαθόν*. cf. enim or. VI § 43.

2) Compara e. gr. § 7.

sint; quibus oppositus est Hiero, tyranni exemplum [1]). quare Dio omnibus Xenophontis scriptis pari modo uti potuit ad regem bonum describendum, et saepe e Xenophonte duos vel plures locos eiusdem sententiae attuli.

Incipit Dio hanc partem, quae est de regis virtutibus, a deorum veneratione (§ 15): *ἔστι δὴ πρῶτον μὲν θεῶν ἐπιμελὴς καὶ τὸ δαιμόνιον προτιμῶν .... ὅστις δὲ κακὸς ὢν ἡγεῖταί ποτε θεοὺς ἀρέσκειν, κατ' αὐτὸ τοῦτο πρῶτον οὐχ ὅσιός ἐστιν.* quocum loco bene conferri potest Xenophontis Oecon. XI, 8: *ἐπεὶ γὰρ καταμεμαθηκέναι δοκῶ, ὅτι οἱ θεοὶ τοῖς ἀνθρώποις ἄνευ μὲν τοῦ γιγνώσκειν τε ἃ δεῖ ποιεῖν καὶ ἐπιμελεῖσθαι ὅπως ταῦτα περαίνηται οὐ θεμιτὸν ἐποίησαν εὖ πράττειν, ... οὕτω δὴ ἐγὼ ἄρχομαι μὲν τοὺς θεοὺς θεραπεύων κτλ.* adde Cyrop. VIII, 7, 22, quo loco Cyrus moriturus filiis praecipit deos vereri, iuste et pie agere, deinde etiam homines curare [2]). quod Dio § 17 dicit regem honorare et diligere bonos, apud Xenophontem saepius legimus, Hieron. IX, 10. Cyrop. II, 3, 12; VII, 5, 85; VIII, 1, 39. quam sententiam Dio § 17—20 profert, rursus consentit cum Xenophonte (Cyrop. I, 1, 2), id quod iam pridem constat [3]).

Xen.:	Dio:
Ἔτι τοίνυν οὐδεμίαν πώ-	*Τίς μὲν γὰρ ἀγέλης βοῶν*

---

1) Compara e. gr. Anab. I, 9 cum Cyropaedia multaque alia. qua de re egit Croiset (*Xénophon*, Paris 1873), cf. p. 155 de Cyro maiore: „ce n'est pas seulement un conquérant, c'est un sage instruit par Socrate. il a toutes les vertus. courageux et brillant comme Cyrus le Jeune, patient et humain comme Agésilas, il a, comme Xénophon, la modération de l'âme, la tranquille raison, la grâce de l'esprit, la beauté du visage. il est tempérant et juste selon la plus pure doctrine des Mémorables", et p. 157: „Cyrus, dans la Cyropédie, est le roi bienveillant vanté par Simonide (Hiéron)", et p. 158: „Socrate, dans l'Economique, vante la sagesse du roi de Perse. il distinguait nettement la royauté de la tyrannie."

2) Multis quoque aliis locis Xenophon a bono rege vel imperatore deos maxime coli dicit, ut Cyrop. I, 5, 14. Ages. III, 2; XI, 8. Cyrop. I, 5, 6; VIII, 2, 22.

3) Traianus ipse *φιλανθρωπότατος* appellatur a Dione or. XL, 15.

ποτε ἀγέλην ᾐσθήμεθα συστᾶσαν ἐπὶ τὸν νομέα οὔτε ὡς μὴ πείθεσθαι οὔτε ὡς μὴ ἐπιτρέπειν τῷ καρπῷ χρῆσθαι, ἀλλὰ καὶ χαλεπώτεραί εἰσιν αἱ ἀγέλαι πᾶσι τοῖς ἀλλοφύλοις ἢ τοῖς ἄρχουσί τε καὶ ὠφελουμένοις ἀπ᾽ αὐτῶν· ἄνθρωποι δὲ ἐπ᾽ οὐδένας μᾶλλον συνίστανται ἢ ἐπὶ τούτους οὓς ἂν αἴσθωνται ἄρχειν ἑαυτῶν ἐπιχειροῦντας.

κήδεται μᾶλλον τοῦ νέμοντος; ... τίς δὲ μᾶλλον φίλιππος τοῦ πλεῖστον μὲν ἄρχοντος ἵππων, πλεῖστα δὲ ἀφ᾽ ἵππων ὠφελουμένου; ... δεινὸν γὰρ, εἰ οἱ ἀλλοφύλων καὶ ἀγρίων ἄρχοντες θηρίων εὐνούστεροι εἶεν τοῖς ἀρχομένοις τοῦ βασιλεύοντος ἀνθρώπων ἡμέρων καὶ ὁμοφύλων.

Apertam Xenophontis imitationem sapit etiam § 20.

Xen. Hier. XI, 11:

ὥστε οὐ μόνον φιλοῖο ἄν, ἀλλὰ καὶ ἐρῷο ὑπ᾽ ἀνθρώπων.

Dio:

ἀνάγκη τὸν ἥμερον καὶ φιλάνθρωπον βασιλέα μὴ μόνον φιλεῖσθαι ὑπ᾽ ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ ἐρᾶσθαι.

regis boni humanitas, quam Dio in fine eiusdem paragraphi laudat, commemoratur etiam Cyrop. VIII, 2, 1. Cyrus saepe *πρᾷος* nominatur, cf. Cyrop. III, 1, 41; VI, 1, 37, et Agesilaus I, 20; XI, 2. ad sequentia confer Cyrop. I, 6, 8: rex non vitae iucunditate, sed laboribus et cura cives superat [1]). Barner ad hunc Dionis locum praeterea Cyrop. I, 6, 25 attulit et propter vocabulum *φιλόπονος* Ages. IX, 3; Cyrop. III, 3, 8. in eadem sectione Dio voluptatibus corpora debilitari dicit, idem Xenophon Oecon. I, 20, similiter de hac re etiam Apomn. II, 1, 31. quae secuntur, ita apud Xenophontem non inveniuntur, sed ex eius more dicta sunt. *πατὴρ τῶν πολιτῶν* (§ 22) unus quisque bonus rex nominatur, sic etiam Cyrus e. g. Cyrop. VIII, 1, 1. § 23: rex non sui, sed civium causa regnat, vide Xen. Apomn. II, 2, 2 sq. similem in modum

1) Vide utriusque loci verba similia esse et utrumque scriptorem antithesi quam dicimus uti.

regem beneficiis gaudere et de Agesilao (VII, 1; IX, 7; XI, 14) et de Cyro dicitur (Cyrop. I, 6, 24; VIII, 2, 12). deinde ad verba *ὃν οἱ μὲν ἰδόντες καὶ συγγενόμενοι οὐκ ἐθέλουσιν ἀπολιπεῖν, οἱ δὲ ἀκούοντες ἐπιθυμοῦσιν ἰδεῖν* conferas quae Simonides de bono rege dicit Hieron. XI, 11 [1]) et III, 2. nemo talis regis inimicus esse vult: sic Dio initio § 25 et Xenophon Cyrop. V, 3, 32 s. f. qua de re Dio paulo fusius agit. non afferam ad hunc locum certas Xenophontis sententias comparandas, sed facile intellegitur haec plane opposita esse iis, quae Hiero de se dicit in prima parte libelli. deinde cum sequenti sectione, quae est de regis simplicitate et veritate, ut Anab. II, 6, 22 comparem, adductus sum verborum similitudine. nam quae hic ut boni regis virtutes laudantur, ibi Meno quasi stulti imperatoris vituperat. de Cyri simplicitate vide Cyrop. I, 4, 3. rex debet esse *φιλότιμος*, quam ob virtutem Xenophon Cyrum praedicat Cyrop. I, 2, 1. ad Dionis verba *φιλέταιρος δὲ καὶ φιλοπολίτης* Barner attulit complures Xen. locos, ubi iisdem adiectivis scriptor utitur, Ages. II, 21. Cyrop. VIII, 3, 49 et Ages. VII, 1. nihil dixit de vocabulo *φιλοστρατιώτης*, quod Xenophon [2]) bis in Anabasi usurpat de se ipso VII, 6, 4 et 39. et Dio et Xenophon vituperant regem vel imperatorem, quem militibus raro videre liceat, hic Ages. IX et Cyrop. VII, 5, 46, ille § 28. sequentia, ut postea videbimus, Platonem sapiunt. amicitiam autem summum et utilissimum bonum esse compluribus locis apud Xenophontem legitur, quam sententiam etiam Dio plus semel profert. compara igitur § 30 sq. cum Xenophontis Hieron. III, 3; III, 5. Apomn. II, 4, 1. Cyrop. VII, 1, 38. quae deinde de amicis Dio dicit brevibus illis enuntiatis per anaphoram coniunctis, similiter dicta sunt a Xenophonte Cyrop. I, 6, 24, ubi eodem modo brevia enuntiata extant. etiam sequentia, quibus amici comparantur cum totidem corporibus et animis unius hominis, redeunt ad Xenophontem, qui iisdem

1) *πᾶς δὲ ὁ μὲν παρὼν σύμμαχος ἂν εἴη σοι, ὁ δὲ ἀπὼν ἐπιθυμοίη ἂν ἰδεῖν σε.*

2) De hoc vocabulo vidi, quod infra de Dionis dicendi genere dixi p. 44.

fere exemplis utitur Apomn. II, 4, 7 [1]). tum Dio enumeratione singularum virtutum relicta dicit τὸ φανερώτατον σημεῖον, bonum regem eum esse, qui a bonis viris laudetur, nam regem ipsum ceterorum laudes aspernari (§ 33); idem Xenophon in Hieron. I, 15 et 16. totam hanc orationis partem concludit Dio interrogationibus nonnullis rhetoricis (ut nos dicimus), quibus vitam beatam boni regis laudat (§ 34 s.). quae partim cum Xenophonte comparare licet, ut Hieron. XI, 11 cum Dionis § 34: πόθεν δὲ οὐκ ἂν ἔλθοιεν κτλ. regem laboribus amantem a civibus diligi dicit Xenophon Cyrop. I, 6, 25. de regis beneficentia Xen. saepius, e. gr. Ages. VII, 2 [2]). omnes cives regem tuentur, ne quid detrimenti capiat: sic Dio § 35 et Xen. Hieron. VII, 10; XI, 11. neque ceterae huius partis sententiae a Xenophonte alienae sunt, quamquam certa exempla non attuli.

In sequenti orationis parte, qua regem deos, immo Iovem imitari Dio dicit, nescio quo iure referri possit ad § 37 Cyrop. VI, 2, 29, id quod Barner facit, cum uterque scriptor dicat ὃν χρὴ μιμουμένους, res autem non eadem sit. ceteris admodum pauca insunt, quae Xenophontem sapiunt. cives regem imitantor: sic Dio § 44 et Xenophon Cyrop. VIII, 6, 10; 6, 13. deteriores melioribus cedunto: Dio § 44 sq. et Xenophon Cyrop. VIII, 1, 33 [3]). apertam autem Xenophontis imitationem tenemus in ultima orationis parte, qua Dio fabulam illam de Hercule narrat. ipse sis compares hanc fabulam cum

---

1) Omnino hic locus optime ad tota Dionis de amicitia verba referri potest, nam non solum eodem ordine uterque scriptor progreditur (Xen. inde a § 5), ita ut primum dicat amicitiam summum bonum esse, tum amicum in omnibus humanis rebus summa utilitate esse, postremo eum optime cum hominis sensibus comparari vel iis praestare, sed etiam simillima interrogandi forma invenitur apud Xenophontem § 5 et Dionem § 31. Ad § 31 Barner p. 21 attulit Hieron. XI, 11; VII, 10. Cyrop. VII, 1, 30; VIII, 7, 13, qui loci ex parte quidem, sed minime tota re cum Dione consentiunt. idem dicendum est de iis Xenophontis locis, quos comparandos profert cum § 32, Cyrop. VIII, 2, 10—12; 6, 16, ubi de oculis et auribus regis Persarum sermo fit.

2) Cf. praeterea Barner p. 22.

3) Cf. Barner p. 22.

Prodicea, quae est Apomn. II, 1, 21 sq. Dionem Xenophonte ipso usum esse elucet e verborum similitudine.

Xen.:	Dio:
§ 21: *Ἐπεὶ ἐκ παίδων εἰς ἥβην ὡρμᾶτο, ἐν ᾗ οἱ νέοι ἤδη αὐτοκράτορες γενόμενοι ...*	§ 65: *Ἐπεὶ δὲ ἑώρα βουλόμενον ἄρχειν αὐτόν.*
§ 22: *καὶ φανῆναι αὐτῷ δύο γυναῖκας προσιέναι μεγάλας, τὴν μὲν ἑτέραν εὐπρεπῆ τε ἰδεῖν καὶ ἐλευθέριον φύσει, κεκοσμημένην τὸ μὲν χρῶμα καθαρειότητι, τὰ δὲ ὄμματα αἰδοῖ, τὸ δὲ σχῆμα σωφροσύνῃ, ἐσθῆτι δὲ λευκῇ,*	§ 70: *Καθημένην ἐν θρόνῳ λαμπρῷ γυναῖκα εὐειδῆ καὶ μεγάλην, ἐσθῆτι λευκῇ κεκοσμημένην, σκῆπτρον ἔχουσαν οὐ χρυσοῦν οὐδὲ ἀργυροῦν, ἀλλ᾽ ἑτέρας φύσεως καθαρᾶς καὶ πολὺ λαμπροτέρας . . . τὸ δὲ πρόσωπον φαιδρὸν ὁμοῦ καὶ σεμνόν.*
τὴν δὲ ἑτέραν τεθραμμένην μὲν εἰς πολυσαρκίαν τε καὶ ἁπαλότητα, κεκαλλωπισμένην δὲ τὸ μὲν χρῶμα, ὥστε λευκότερόν τε καὶ ἐρυθρότερον τοῦ ὄντος δοκεῖν φαίνεσθαι, τὸ δὲ σχῆμα, ὥστε δοκεῖν ὀρθοτέραν τῆς φύσεως εἶναι ..., κατασκοπεῖσθαι δὲ θαμὰ ἑαυτήν, ἐπισκοπεῖν δὲ καὶ εἴ τις ἄλλος αὐτὴν θεᾶται, πολλάκις δὲ καὶ εἰς τὴν ἑαυτῆς σκιὰν ἀποβλέπειν.	§ 78: *Καθημένην ὑψηλὴν ἐξεπίτηδες, προσποιουμένην καὶ ἀφομοιοῦσαν αὐτὴν τῇ Βασιλείᾳ, πολὺ δέ, ὡς ἐνόμιζεν, ὑψηλοτέρῳ καὶ κρείττονι τῷ θρόνῳ . . . ἦν δὲ οὐδ᾽ ἄλλο οὐδὲν ἐν κόσμῳ διακείμενον, ἀλλὰ πρὸς δόξαν ἅπαντα καὶ ἀλαζονείαν καὶ τρυφήν . . . θαμινὰ δὲ κύκλῳ περιέβλεπε . . . ἡ δὲ ἐσθὴς παντοδαπή.*

accedit, quod Dio or. LIV, 4 ipse confitetur se Prodici scripta non iam vidisse. ut Dio ea re a Xenophonte recederet, quod feminas illas in montibus sedere fingebat, fortasse adductus est Hesiodi versibus Op. et D. 289—294, quos legimus apud Xenophontem paulo ante fabulam Prodiceam, ita ut etiam hoc dissensu necessitudo confirmetur.

De oratione II multo brevius nobis agendum fore iam e toto orationis argumento elucet. fingit enim Dio dialogum inter Philippum et Alexandrum habitum, quo Alexander Homeri poemata sola regi apta esse ostendit. quam ob rem haud multas sententias ad Xenophontem referri posse consentaneum est, nisi quae hic illic Dioni scribenti occurrerunt. ac statim initio orationis quod Alexander cum cani nobili comparatur, qui prae venandi cupiditate se continere nequit, hanc imaginem haustam esse ex Xenophontis Cyrop. I, 4, 15, quo loco de Cyro puero fere eadem similibus verbis dicuntur, facile intellegas. de regis humanitate, clementia, beneficentia, quam Alexander § 26 laudat, iam dictum satis est ad primam orationem. transeamus ad § 49, quae est de regis veste ac corporis cultu: *ἀλλὰ καὶ στολῇ καὶ ὁπλίσει διαφέρειν* (*δεῖ τὸν βασιλέα*) *παρὰ τοὺς ἄλλους ἐπὶ τὸ μεῖζον καὶ σεμνότερον*. ad haec verba conferas quaeso Xenophontis verba Cyrop. VIII, 1, 40 ss., quibus eadem res illustratur. vituperat autem sequentibus Dio Persarum morem, quem e Xenophontis scriptis maxime novit, quod Persae ornantur *ψελλίοις τε καὶ στρεπτοῖς, χρυσοῖς φαλάροις καὶ χαλίναις*, cf. e. g. Anab. I, 2, 27. rex bonus se abstinet a risu immodico, ut se indigno: sic Dio § 56 et Xenophon Cyrop. VIII, 1, 33. in fine orationis scriptor posuit comparationem boni regis cum tauro institutam, depromptam ex Homero (Il. *β*. 481), exornatam vero multis verbis. permulta hic repetit, quae iam in prima oratione explicavit, cf. e. g. quae de Iovis regno dicta sunt. taedet locos Xenophonteos afferre, quorum ipse recordaberis, cum leges *τὸ ἥμερον τῆς φύσεως . . . τὴν ὑπὲρ τῶν ἀρχομένων προμήθειαν* (§ 67). *βασιλεύει δὲ καὶ ἄρχει τῶν ὁμοφύλων μετ᾽ εὐνοίας* multaque alia. quod attinet ad tyranni imaginem, qualis depingitur § 75, optime congruit cum Xenophontis Hierone, quem qui legit ei non opus est plura afferre. ipse Dio laudat inter bonos reges Cyrum et hic et alibi (or. XXV, 5; LVI, 4 etc.). unum vero licet locum accuratius compares cum Xenophonte, § 78 cum Xen. Apomn. II, 1, 33. quae Alexander de Herculis post mortem memoria dicit, sine dubio sumpta sunt e fabula Prodicea.

Xen.:	Dio:
Ὅταν δ' ἔλθῃ τὸ πεπρωμένον τέλος, οὐ μετὰ λήθης ἄτιμοι κεῖνται, ἀλλὰ μετὰ μνήμης τὸν ἀεὶ χρόνον ὑμνούμενοι θάλλουσι.	Ἐὰν δὲ τὸ τῆς εἱμαρμένης ἀναγκαῖον ἐπείγῃ πρὸ τοῦ γήρως, ἀλλ' οὖν μνήμης τε ἀγαθῆς καὶ παρὰ πᾶσαν εὐφημίας εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον ἠξίωσε.

Oratio III et ipsa de vita et virtutibus boni regis est. cuius orationis cum sententiarum conexus persaepe desit, excursum huic libello addidi, quo de eius orationis compositione egi. Dictum Socratis initio prolatum Platonicum est, de quo infra agam. sed statim ubi Dio Traianum laudare incipit, Xenophonteis coloribus uti videtur. compara cum fine § 2 ea, quae Xenophon de Agesilao laudibus bonorum solum gaudente dicit Ages. XI, 5, et ad initium sequentis sectionis, quae de eodem rege capite quinto, maxime § 3. quod deinde Dio § 4 bonum regem eum nominat, qui quamquam ei licet quam luxuriosissime vivere, tamen continens est, idem de Cyro dicitur Cyrop. VIII, 1, 30 [1]). omnes homines regem quodcumque facit, laudant: sic Dio § 4 et Xen. Hieron. I, 14. de rege legali, iusto, laborioso (§ 5) iam ad primam orationem satis multa allata sunt, adiciam unum locum Ages. XI, 10: *πρᾳότατός γε μὴν φίλοις ὢν ἐχθροῖς φοβερώτατος ἦν*, qui locus comparari potest cum Dionis verbis. in sequenti sectione scribenda Dionem Xenophontis Cyrop. I, 1, 3 memorem fuisse animadvertit Dindorf in adnotatione ad Xen. locum [2]). cives regis temperantiam imitari dixit Dio § 7 et Xenophon Cyrop. VIII, 1, 30 loco modo commemorato. idem de iustitia, ad quem locum compares Cyrop. VIII, 8, 5, ubi simile aliquid de iniusto rege dicitur. sequentibus haec a Dione amplificantur. confer Ages. VII, 2: *τίς γὰρ ἂν ἐθέλησεν ἀπειθεῖν ὁρῶν τὸν*

1) *ὅταν γὰρ ὁρῶσιν, ᾧ μάλιστα ἔξεστιν ὑβρίζειν, τοῦτον σωφρονοῦντα.*

2) Vide similitudinem verborum: Cyrus in potestatem redegit *παμπόλλους μὲν ἀνθρώπους, παμπόλλας δὲ πόλεις, πάμπολλα δὲ ἔθνη,* apud Dionem est: *ὅτῳ δὲ παμπληθεῖς μὲν ὑπακούουσι πόλεις, πάμπολλα δὲ ἔθνη, ἀναρίθμητα δὲ φῦλα ἀνθρώπων.*

βασιλέα πειθόμενον, et de laborum patientia cf. etiam Ages. V, 3 [1]). quod Dio in fine nonae paragraphi dicit omnibus hominibus virtute opus esse, maxime vero regi, simillimam habes sententiam apud Xenophontem Anab. VII, 7, 41 [2]). omnia quae rex facit, in aperto fiunt neque hominibus occulta esse possunt: sic Dio § 11 et Xenophon saepius, Cyrop. I, 6, 25; VIII, 7, 23 et Ages. V, 6 sq. secuntur apud Dionem de adulatione multa verba, quibus Xenophontea non insunt, excepta fortasse § 18, quo loco Dio adulatione laudem corrumpi dicit. similiter Xen. Hieron. I, 15. Quem locum non afferrem, nisi Hieronem libellum Dioni familiarissimum fuisse putarem. praetermittamus deinde locum illum ab editoribus omnibus iam commemoratum § 26 s., qui totus e Socratis et Hippiae colloquio Apomn. IV, 5 ss. translatus est [3]), ita ut verba quoque Xenophontis pleraque repetantur. tum Dio postquam ad Socratis dictum rediit, inde a § 32 felicem regem ab infelici distinguit, vel quod idem esse dicit, bonum a malo. cui parti multa insunt similia iis, quae Xen. Apomn. II, 1 dicit, cum seiungat *ἄρχειν παιδευόμενον* ab *ἄρχεσθαι παιδευομένῳ*. quis rex vere bonus sit, Dio § 39 Socratem dicentem facit, qua in re maxime consentit cum Xen. Ages. VIII, 4, qui suam a Persarum regis felicitate secernit: *οὐχ ὁπότερος πλείω τε χρήματα ἔχοι καὶ πλειόνων ἄρχοι, τούτῳ ἡγήσατο μεῖζον φροντητέον εἶναι, ἀλλ᾽ ὁπότερός αὐτός τε ἀμείνων εἴη καὶ ἀμεινόνων ἡγοῖτο.* malum regem cives pro servis habere Dio dicit § 40, Xenophon Hieron. VI, 3. compara deinde Dionis § 41 cum Xenophontis Cyrop. VIII, 2, 14, quo utroque loco bonus rex cum pastore componitur [4]). in extrema hac parte posuit Dio nomina imperiorum, bonorum *βασιλεία*, *ἀριστοκρατία*, *δημοκρατία*, malorum *τυραννίς*,

1) Quos Barner praeterea ad hanc sententiam attulit locos, unum illud *συμπονεῖν* spectant et minoris momenti sunt, quam ut comparem. sunt Cyrop. VII, 5, 55; 71; VIII, 7, 14.

2) *Ἐγὼ δὲ οὐδὲν νομίζω ἀνδρὶ ἄλλως τε καὶ ἄρχοντι κάλλιον εἶναι κτῆμα οὐδὲ λαμπρότερον ἀρετῆς.* compara etiam Cyrop. VIII, 1, 12.

3) Eadem res narratur a Platone Gorg. 490 E de Callicle et Socrate. sed vides Xenophonte Dionem usum esse.

4) Ipsa verba similia sunt:

πλουτοκρατία, ὀχλοκρατία. haec similia sunt iis, quae Xenophon de eadem re dicit Apomn. IV, 6, 12, imprimis quae de regno dicta sunt. ad § 51, quae est de regis pietate, confer eos locos, quos iam attuli ad or. I, 15 (h. disp. p. 4), praeterea adde Cyrop. VIII, 1, 23. simillima quoque sunt, quae Dio § 52 dicit iis, quae Xen. Apomn. I, 3, 3 [1]) deos bonorum hominum sacrificiis magis delectari quam malorum. recte deinde ad finem huius sectionis emendandum (secludenda sunt verba *τὴν τοῦ θεοῦ*) attulit de Wilamowitz versum Hesiodeum Op. et D. 336, cuius versus Dio memor erat, quoniam eum legerat Xen. Apomn. I, 3, 3 sq. deos bonis factis magis delectari quam magnis sacrificiis Xenophon dicit Ages. XI, 2 [2]). fortasse etiam sequentis sectionis verba vestigia loci modo commemorati prae se ferunt Ages. XI, 1[3]). sicut Dionis bonus rex heroes colit, sic etiam Cyrus cf. Cyrop. II, 1; III, 3, 22. de regis hominum cura vide quae ad orationem primam dixi, imprimis compara Ages. VII, 1. cum § 58—61, quibus de tyranni condicione agitur, optime comparari possunt, quae Hiero in Xenophontis libello dicit, ut de fide capite quarto, de voluptatibus capite sexto. regem bonum a civibus diligi, nemini invidiae et odio esse Dio § 59 et 60, Xenophon Hieron. XI, 11 et saepius dicit (Barner attulit praeterea Ages. I, 19; VI, 4). iam ad primam orationem eos Xenophontis locos contulimus, quibus rex non

---

Xen.:	Dio:
τόν τε γὰρ νομέα χρῆναι ἔφη εὐδαίμονα τὰ κτήνη ποιοῦντα χρῆσθαι αὐτοῖς.	*ποιμένος ἐπιεικοῦς ἔχων ἦθος, σκέπης καὶ νομῆς προνοούμενος τοῖς αὐτοῦ κτήνεσιν.*

1) *Οὔτε γὰρ ἂν τοῖς θεοῖς ἔφη καλῶς ἔχειν, εἰ ταῖς μεγάλαις θυσίαις μᾶλλον ἢ ταῖς μικραῖς ἔχαιρον· πολλάκις γὰρ ἂν αὐτοῖς τὰ παρὰ τῶν πονηρῶν μᾶλλον ἢ τὰ παρὰ τῶν χρηστῶν εἶναι κεχαρισμένα· οὔτ' ἂν τοῖς ἀνθρώποις ἄξιον εἶναι ζῆν, εἰ τὰ παρὰ τῶν πονηρῶν μᾶλλον ἦν κεχαρισμένα τοῖς θεοῖς ἢ τὰ παρὰ τῶν χρηστῶν. ἀλλ' ἐνόμιζε τοὺς θεοὺς ταῖς παρὰ τῶν εὐσεβεστάτων τιμαῖς μάλιστα χαίρειν.* cf. etiam Apomn. IV, 3, 16.

2) *Ἐκεῖνό γε μὴν ὑμνῶν οὔποτ' ἔληγεν ὡς τοὺς θεοὺς οἴοιτο οὐδὲν ἧττον ὁσίοις ἔργοις ἢ ἁγνοῖς ἱεροῖς ἥδεσθαι* (nam *ἐκεῖνο* pro tradito *ἐκεῖνος* legendum esse censeo adductus maxime loco Dionco).

3) Nam haud raro accidit Dioni, ut Xenophonteorum enuntiatorum quasi sonu ac forma ad similes sententias formandas adduceretur.

voluptatibus, sed laboribus cives superare dicitur (Ages. V, 2. Cyrop. I, 6, 8; 25). item Dio § 62. ceterum quae secuntur exempla Dio ipse de suo exornavit, nisi forte recordatus est Xen. Apomn. III, 9, 11, ubi idem legitur artis peritos ceteris imperare. neque in iis plane a Xenophontis auctoritate abesse videtur, quae de cura imperatoris dicit. cf. Hipparch. VI, 3. quae de feminis et viris profert, similia sunt eis, quae legimus apud Xenophontem Oec. VII, 20—23, imprimis vide § 22. iam pridem autem editores viderunt, quae de sole homines curante Dio § 73—81 disserit, translata esse e Xenophontis Apomn. IV, 3, 3—9. atque plane consentiunt cum Xen. § 8 Dionis § 78 sq.: cum terra calore eget, sol propius ad eam accedit, recedit, ubi frigore opus est. et tam accuratum cursum instituit, ut numquam propius accedat, numquam longius abeat, quam terrae utile est. sed ne subita temperiei mutatio nobis noceat, lento pede a calore ad frigus nos traducit, ita ut paulatim aeri mutato assuefacti summum frigus perferre possimus (cf. etiam Cyrop. VI, 2, 28). cetera Dio paulum in suum usum mutavit, cum solis curae ea tribuerit, quae apud Xenophontem deorum sunt. ipsae autem res eaedem sunt, de die et nocte Dio § 81, Xen. § 3, de plantis Xen. § 5; 6, Dio § 77. uterque scriptor hanc solis vel deorum curam *φιλανθρωπίαν* appellat. etiam sequentia Dio Xenophonti videtur debere, cum ostendat, quantum labores prosint, voluptates noceant (§ 85). cf. Apomn. IV, 5, 9. Cyrop. VII, 5, 80; I, 5, 12. finem huius partis eadem sententia facit, de qua Xenophon Apomn. II, 1 copiosius disputat [1]). iam pervenimus ad maximam et ut videtur gravissimam orationis partem, quae est de amicitia. de qua etiam Xenophon multa dicit hic illic in Cyropaedia, Hierone, Memorabilibus. atque initio Dio dicit amicitiam summum bonum esse, quam sententiam ad or. I attulimus (vide p. 6). pergit scriptor turpius esse amicis carere quam divitiis. plane idem dicit Xenophon Ages. VI, 5: *μείζω*

---

1) Hic addendus est unus locus, quem ad finem § 67 pertinere patet (cf. excursum). etenim quod Dio § 85 imperatorem pro militibus vigilare dicit, respicit eundem Xenophontis locum, quem iam supra commemoravimus, Hipparch. VI, 3, quo item de imperatore vigilante sermo fit.

ζημίαν ἡγούμενος φίλων ἢ χρημάτων στερίσκεσθαι. amici fideles firmissimum regni praesidium sunt: haec Dio eodem loco et Xenophon Cyrop. VIII, 7, 13. nemo amicorum auxilio supersedere potest, minime vero rex: ita pergit Dio, similiter Xenophon (Cyrop. VIII, 6, 12): οὐ γὰρ ἂν δυναίμην ἐγὼ εἷς ὢν ἀνθρωπίνῃ ἀρετῇ τὰ πάντων ὑμῶν ἀγαθὰ διασῴζειν, ἀλλὰ δεῖ ἐμὲ μὲν ἀγαθὸν ὄντα σὺν ἀγαθοῖς τοῖς παρ' ἐμοῦ ὑμῖν ἐπίκουρον εἶναι. similis quoque sententia est Apomn. II, 4, 6, de qua postea. deinde quod Dio dicit privatis hominibus leges praesidio esse, non regibus, compara quae paulo aliter de eadem re extant Hieron. IV, 4 sq. quo quis potentiores amicos suos reddit, eo maior ipsius potestas fit: sic Dio § 89 et similiter de divitiis Simonides apud Xenophontem Hieron. XI, 13. quae apud Dionem secuntur, similia non invenies in Xenophontis scriptis, sed amicitiam omnibus utilibus rebus utiliorem esse dicit Apomn. II, 4, 5. inde a § 96 complura sapiunt Hieronem, e. g. τῶν ἡδέων ἀπολαύειν . . . ἔτι λυπηρότερον, εἰ δεήσειε κοινωνεῖν τοῖς μὴ ἀγαπῶσιν; Hieron. IV, 1: ποία μὲν γὰρ συνουσία ἡδεῖα ἄνευ πίστεως τῆς πρὸς ἀλλήλους; neque convivia sine amicis hominem delectare possunt (idem Hieron. VI, 3), neque amor sine amicitia voluptatem praebet (similiter Hieron. I, 29 et VI, 1). fortasse Dio etiam Xenophontis memor fuit, cum scriberet: εἰ δὲ σκυθρωπὸν ἐρημία καὶ πάντων φοβερώτατον κτλ., cf. Hieron. VI, 3 et Anabaseos locum II, 5, 9: πᾶς δὲ ὄχλος φοβερός, φοβερώτατον δ' ἐρημία, quo loco item de amico Xenophon loquitur. ad totam deinde hanc orationis partem, imprimis § 103 referri possunt Cyrop. I, 6, 24 et Hieron. III, 2, loci inter se, ut apud Xenophontem haud rarum est, simillimi. sequitur locus a multis iam propter imitationem Xenophontis commemoratus; est § 104—107, quo legimus amicos utiliores esse quam oculos, aures, manus, pedes. eadem res invenitur apud Xenophontem Apomn. II, 3, 19 (cf. etiam II, 4, 3), quem locum iam antea vidimus Dionem aliquantum exornasse. sed taedet singula afferre, quoniam statim in legendo similitudo apparet [1]). etiam

1) Quos Barner praeterea attulit locos Cyrop. VIII, 2, 12; 6, 16, nihil ad rem.

§ 109 sapit Xenophontem, nam regem amicorum divitiis ipsum divitem fieri Xenophon dicit Hieron. I, 13, loco supra allato et Cyrop. VIII, 2, 19. compluries Xenophon de Cyro dicit, quod Dio § 110: ὁ τοίνυν τοῖς φίλοις χαριζόμενος ἥδεται ἅμα μὲν ὡς διδούς, ἅμα δὲ ὡς αὐτὸς κεκτημένος. Cyrus magis delectatur aliis dona tribuens quam ipse accipiens. (Cyrop. V, 1, 28; VIII, 4, 31; II, 3, 12.) sic etiam bonus rex gaudet, quod amicis dona dare potest (Dio § 110). eandem virtutem Xenophon laudat in Cyro minore (An. I, 9, 20 sqq). regem non otio sed negotio cives superare iam supra invenimus, ita ut nunc opus non sit locos Xenophonteos afferre. amicitia eum praeter ceteros florere cupere dicit Dio § 111, quocum compara Hieron. VIII, 1: ὡς τὸ ἄρχειν οὐδὲν ἀποκωλύει τοῦ φιλεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ πλεονεκτεῖ γε τῆς ἰδιωτείας. adde etiam, quae de Cyro minore dicit Anab. I, 9, 20. rex bonus deos sibi amicos reddit (§ 115); idem de Agesilao narrat Xenophon XI, 1 (cf. etiam Cyrop. I, 6, 4). quod Dio pergit malum regem amicis carere et bonis civibus odio esse, componas cum Hieron. cap. V. quae deinde sequitur sententia de regis Persarum oculo certe non est Xenophontea, quia ubique complures esse regis oculos dicit[1]). cf. Cyrop. VIII, 2, 12. cognati et affines regis amicissimi sunto, quoniam artissimo vinculo cum iis coniunctus est: sic Dio § 120 s., similiter Xenophon Cyrop. VIII, 7, 19 et Apomn. II, 3, 4. post haec Dio ad amorem coniugum transit, quam partem orationis imperfectam esse puto. quae extant, quamquam brevissima sunt, congruunt optime cum iis, quae Xenophon in Oeconomico Ischomachum de se suaque coniuge dicentem fingit. compara praecipue cap. VII huius libelli. etiam sequenti parti haud rara Xenophontis vestigia insunt. iam enim initium congruit cum Cyrop. VII, 5, 74, quo loco dicitur de τῇ τῶν κακῶν ἀνθρώπων ἡδυπαθείᾳ, οἳ νομίζουσι τὸ μὲν πονεῖν ἀθλιότητα, τὸ δὲ ἀπόνως βιοτεύειν ἡδυπάθειαν. et quod Dio pergit laboribus voluptates augeri, idem legas apud

1) Hanc sententiam neque Xenophontis sectatore dignam esse neque suo loco aptam apparet. vide quae in excursu dixi.

Xenophontem in eodem capite § 80 [1]. porro talem hominem privatum, qualem Dio in sequentibus cum bono rege comparat, numquam otiosum, semper ante cenam corpus exercentem Xenophon accurate depingit in Oeconomico, Ischomachum scilicet, et rex ille ipse Cyrus est. secuntur apud Dionem nonnullae sententiae, quae et ipsae de amicis sunt, quarum complures consentiunt cum Xenophontis Hierone, ut primam sine dubio Dio scripsit adductus loco Hieron. II, 2: *κέκτησθε δὲ διαφέροντας μὲν ἀρετῇ ἵππους, διαφέροντα δὲ κάλλει ὅπλα, ὑπερέχοντα δὲ κόσμον γυναιξί κτλ.* nemo est, quin regi amicus esse velit: sic Dio § 129, Xenophon Hieron. VIII. malus autem rex non habet amicos, sed adulatores (de hac sententia iam dictum est cf. Hieron. V). quomodo amici a rege concilientur, a Dione dicitur § 131 s., a Xenophonte Hieron. VIII [2]. iam pervenimus ad ultimam ut ita dicam partem orationis, qua Dio venationem solam omnium voluptatum rege dignam esse ostendit. ac primum quidem venationem laudat, quod non ut aliae voluptates animum et corpus debilitat. idem Xenophon dicit de venatione. cf. Cyn. II, 1; VIII, 8; 18, ut iam Geelius adnotavit. tum Dio enumerat, quae bona rex e venatione percipiat (§ 135 et 136). qui locus quin e Xenophontis Cyropaedia haustus sit nemini legenti dubium esse potest. compara Cyrop. VIII, 1, 34 [3]. tamen Dio hunc Persarum morem non plane laudat, sed vituperat regem, quod bestias paradisis inclusas, debiles ignavas venatur. quem morem eum e Cyrop. I, 4, 11 cognovisse facile intelleges.

---

1) *Τοσούτῳ τἀγαθὰ μᾶλλον εὐφραίνει, ὅσῳ ἂν μᾶλλον προπονήσας τις ἐπ᾽ αὐτὰ ἴῃ.*

2) Compara Dio 132: *τίς δὲ κύριος μειζόνων μεταδοῦναι πραγμάτων*; cum Hieron. VIII, 4; Dionis: *αἱ παρὰ τίνος δὲ τιμαὶ φανερώτεραι*; cum VIII, 3: *τὴν παρὰ ποτέρου τιμὴν μείζονος ἂν χάριτος δοκεῖς τυγχάνειν;*

3) Afferam ipsum locum: *Τῆς πολεμικῆς δ᾽ ἕνεκα ἀσκήσεως ἐπὶ θήραν ἐξῆγεν οὕσπερ ἀσκεῖν ταῦτα ᾤετο χρῆναι, ταύτην ἡγούμενος καὶ ὅλως ἀρίστην ἄσκησιν πολεμικῶν εἶναι καὶ ἱππικῆς δὲ ἀληθεστάτην … καὶ ἀπὸ τῶν ἵππων ἐνεργοὺς αὕτη μάλιστα ἀπεργάζεται διὰ τὴν τοῦ λαμβάνειν φιλοτιμίαν καὶ ἐπιθυμίαν· καὶ τὴν ἐγκράτειαν δὲ καὶ πόνους*

In oratione VI, postquam Diogenes rege Persarum beatiorem se esse dixit (§ 1—7) [1]), scriptor de Diogenis vita loquitur (§ 8—20), qua in parte cum multa mihi cum Xenophontis verbis et sententiis consentire videantur, breviter afferam eos locos. quae hic Dio de Diogene narrat eum vili cultu corpus non debilitare, sed corroborare, eadem fere Socrates apud Xenophontem Apomn. I, 6 dicit de se, confer imprimis § 5—7. praeterea licet afferre Hieron. I, 25 et Ages. IX, 3. ad sequentis paragraphi prima verba (*ἥδιον μὲν ἀλεαινόμενος ᾐσθάνετο, ἥδιον δὲ σιτίοις προσεφέρετο*) compara Xen. Symp. IV, 37—41, ubi Antisthenes similem sententiam similibus verbis profert. Diogenes anni tempora sequitur, ita ut uno quoque contentus sit. eadem de causa laudat Xenophon Agesilaum IX, 5 [2]). ceteri, scilicet mali homines, quod iis omnibus, quae cupiunt, frui licet, ipsam voluptatem consuetudine et luxuria perdunt. simillima sunt, quae in fabula illa Prodicea (Apomn. II, 1) Virtus Malitiae crimini dat (§ 30). contra Diogenes siti et fame cibos iucundiores reddit (§ 12); idem narratur de Socrate Apomn. I, 3, 5, de Cyro Cyrop. II, 5, 12 et IV, 5, 4 [3]). finis paragraphi duodecimae plane fere consentit cum Antisthenis

---

καὶ ψύχη καὶ θάλπη καὶ λιμὸν καὶ δίψος δύνασθαι φέρειν ἐνταῦθα μάλιστα προσεἰθιζε τοὺς κοινῶνας. (quo loco comparato apparet non cum H. de Arnim § 136 corruptam ita sanandam esse, ut *ἐθίζοντα* mutes.) alius locus huic simillimus est Cyrop. I, 2, 10, ubi idem demonstratur venatione bellicas virtutes exerceri.

1) Quod Diogenes initio orationis narrat se Persarum regem imitari, regis illa consuetudo a Dione certe non e Xenophonte Cyrop. VIII, 6, 17 hausta est, quod Bactriani a Xenophonte omnino non nominantur. ceterum mihi displicet interpunctio, quam in § 2 editores constituerunt. nam non illa verba: *εἶναι γὰρ ... ὑπὸ τῆς θαλάττης* causam indicant antecedentis sententiae, sed solum verba *εἶναι γὰρ ... τὸ γιγνόμενον ὕδωρ* respiciunt ad verba *ποταμοὺς διαῤῥέοντας*. itaque seiungas sententiam *εἶναι γὰρ ... ὕδωρ* quasi in parenthesi dictam ab antecedentibus et sequentibus. qua re praeterea efficitur, ut *τε*, quod extat post *περιέχεσθαι*, respondeat antecedenti *μήτε ... μήτε*.

2) Cf. etiam Cyrop. VI, 2, 29, locum iam supra citatum (p. 7). quod Geelius ad § 11 contulit Xenophontis Oecon. XII, 11, dubito, num recte fecerit.

3) Comparari potest praeterea Apomn. III, 11, 13.

verbis Symp. IV, 41 [1]). sicut hic de Diogene narratur uno vestimento per totum annum eum contentum fuisse, ita Antiphon Socratem irridet Apomn. I, 6, 2. et Socrates et Diogenes discalceati incedunt: compara Apomn. I, 6, 2 cum Dionis § 15. quae secuntur, non conveniunt cum Xenophonte excepta § 31. quo loco quod Dio de Diogene dicit: *πραγμάτων δὲ καὶ δικῶν καὶ φιλονικιῶν καὶ πολέμων καὶ στάσεων ἐκτὸς ἦν,* licet compares cum Xen. Apomn. I, 2, 63: *ἀλλὰ μὴν τῇ πόλει γε οὔτε πολέμου οὔτε στάσεως οὔτε προδοσίας οὔτε ἄλλου κακοῦ οὐδενὸς πώποτε αἴτιος ἐγένετο.* et in eadem paragrapho verba: *καὶ μάλιστα ἐμιμεῖτο τῶν θεῶν τὸν βίον* eandem sententiam exprimunt, quam Xenophon Apomn. I, 6, 10 [2]). pergamus nunc ad eam orationis partem, qua Diogenes regem Persarum omnium miserrime vivere docet inde a § 35. iam videbis permultas huius partis sententias e Xenophontis Hierone sumptas esse. Persarum rex quamquam ditissimus est, tamen ob eandem hanc causam miser est; simile quod Hiero dicit capitis quarti § 6—11 [3]). quod Dio dicit *καὶ πάντας ἐπιβουλεύειν αὐτῷ νομίζοντα μέχρι τῶν παίδων τε καὶ ἀδελφῶν,* compara cum Hieron. III, 8: *πολλοὺς δ᾽ ὑπὸ παίδων αὐτοὺς ἀπολωλότας, πολλοὺς δὲ ἀδελφοὺς ἐν τυραννίσιν ἀλληλοφόνους γεγενημένους.* quam ob rem rex summis bonis non delectatur timore percussus: sic Dio § 36 et Xen. VI, 6. eiusdem Dionis paragraphi finem compara cum Hieron. VI, 3: *μέθην δὲ καὶ ὕπνον ὁμοίως ἐνέδρᾳ φυλάττομαι.* § 38 Diogenes explicat regem neque armatis neque inermibus se credere et a populo ad hastatos, ab hastatis ad eunuchos fugere; similiter Hieron. VI, 4 [4]).

---

1) Omnino oratione illa Antisthenis in Symposio habita eadem fere similibus verbis prolata sunt, quae hic a Diogene.

2) Loci Xenophontei videtur etiam Pseudo-Lucianus memor fuisse, cum scriberet Cyn. 546 (12): *διὰ τοῦτο θεοὶ μὲν οὐδενὸς, οἱ δὲ ἔγγιστα θεοῖς ἐλαχίστων δέονται.*

3) Cf. etiam Symp. IV, 36. quo loco scribendum censeo *αἰσθάνομαι δὲ καί τινας, οἳ* omisso *τυράννους*; nam de tyrannis postea Antisthenes loquitur, neque puto eum dixisse tyrannum furari. (ad *τινάς* intellige *ἰδιώτας*.)

4) *Φοβεῖσθαι δὲ ἀφυλαξίαν, φοβεῖσθαι δὲ καὶ αὐτοὺς τοὺς φυλάττοντας καὶ μήτ᾽ ἀόπλους ἔχειν ἐθέλειν περὶ αὐτὸν μήθ᾽ ὡπλισμένους ἡδέως θεᾶσθαι.*

cibi et vini rex praegustatores habet, ne veneno interimatur; idem queritur Hiero IV, 2. ad sequentia conferas rursus Hieron. III, 8, locum modo citatum. quamquam tantae sunt imperii calamitates, tamen rex liberari ab eo neque vult neque potest; similiter Hieron. VII, 12 [1]). inde a § 41 haec fere Diogenes exponit: ut omnium malorum timor gravior esse solet, quam res ipsa, sic etiam multi homines tam vehementer mortem timent, ut se ipsi antea interficiant. haec sententia exemplis militum et nautarum confirmatur. quibuscum plane consentiunt, quae Cyrus et Tigranes inter se collocuntur Cyrop. III, 1, 23 sq.: *λέγεις σὺ, ὡς ὁ φόβος τοῦ ἔργῳ κακοῦσθαι μᾶλλον κολάζει τοὺς ἀνθρώπους;* sic compellatus Tigranes sententiam profert eandem, quam Diogenes, et iisdem exemplis militum et nautarum utitur. in § 43 vides a Diogene tyrannum cum capitis damnato quodam comparatum esse. idem exemplum affert Hiero VII, 10: *ὁ δὲ τύραννος ὡς ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων κατακεκριμένος δι᾽ ἀδικίαν ἀποθνήσκειν οὕτως καὶ νύκτα καὶ ἡμέραν διάγει.* neque amore quidem rex frui potest, quoniam ei timendum est, ne ab amato ipso interficiatur: sic Dio § 49 et Hieron. I, 38. itaque e Diogenis sententia tum demum rex liber est ab his malis, cum mortuus est; quam sententiam paulo aliam invenies Hieron. VII, 13 [2]). in tantis malis ne mireris, quod homines tanta cupiditate tyrannidem appetunt, nam imperiti sunt eius rei: quam Hieron. I, 9 sententiam Dio § 45 mutavit, sed similitudo apparet. quae Dio § 48 de rebus iucundis dicit, similiter legas expressa Hieron. I, 18. ii quos rebus familiaribus tyrannus privavit, inimici regis fiunt, ii quorum res auxit, quam celerrime fugiunt: plane idem dicitur Hieron. VI, 13 [3]). porro Diogenes tyrannos neque pacem neque bellum commodo sibi esse putare docet, non

---

1) *Καὶ ταύτῃ ἀθλιώτατόν ἐστιν ἡ τυραννίς· οὐδὲ γὰρ ἀπαλλαγῆναι δυνατὸν αὐτῆς ἐστιν.*

2) *Εἴπερ τῳ ἄλλῳ λυσιτελεῖ ἀπάγξασθαι, ἴσθι, ὅτι τυράννῳ ἔγωγε εὑρίσκω μάλιστα τοῦτο λυσιτελοῦν ποιῆσαι.*

3) *Φίλους μὲν γὰρ πῶς ἂν νομίσαις ποτὲ εὖ ποιεῖν, ὅταν εὖ εἰδῇς, ὅτι ὁ τὰ πλεῖστα λαμβάνων παρὰ σοῦ ἥδιστ᾽ ἂν ὡς τάχιστα ἐξ ὀφθαλμῶν σου γένοιτο;*

plane consentiens cum Xenophontis Hieron. II, 7—18, qui pacem tyrannis omnino non esse, bellum vero ne bene quidem gestum ei gaudio et honori esse ostendit. tum pergit Diogenes, ne civium rebus secundis quidem tyrannum delectari, quoniam eorum insolentiam timeat. quocum loco conferas Hieron. V, 4 [1]). quod Dio deinde nusquam regem a timore liberum esse neque domi neque foris dicit, consentit cum Hieron. II, 8—10, ubi et in pace et in bello privatos tyranno securiores vivere Hiero docet. propter hunc assiduum mortis timorem rex § 55 cum Tantalo comparatur. eandem comparationem invenimus apud Xenophontem in Oeconomico sub finem, cuius loci Dionem memorem fuisse verisimile est. rex malus omnes homines timet et ingenuos propter libertatem et adulatores, quoniam veritatem dissimulant: sic Dio § 57 et Xen. Hieron. V, 1 sq. deinde quod Dio pergit: *καὶ λοιδορούμενος πολλαπλασίως ἀνιᾶται ἢ ἄλλος ... ἐπαινούμενος δὲ οὐχ ἥδεται*, compara quae Hiero I, 16 dicit laudatores tyranni adulationis causa laudare putandos esse, tacentes autem ne vituperent tacere. in fine huius partis Dio rursus amicitiam summum bonum esse dicit, cuius tyrannus expers sit (Hieron. III, 3 et III, 6). restat, ut ad § 61 afferam, quae Antisthenes in Symp. IV, 40 dicit: *εἴ μού τις καὶ τὰ νῦν ὄντα παρέλοιτο, οὐδὲν οὕτως ὁρῶ φαῦλον ἔργον, ὁποῖον οὐκ ἀρκοῦσαν ἂν τροφὴν ἐμοὶ παρέχοι*. sic etiam Diogenes nulla calamitate se commoveri dicit.

Multo brevius nobis agendum est de ceteris Dionis orationibus, quae de Diogene scriptae sunt. quarum octavam et nonam totas fere omittere possumus, exceptis perpaucis locis, ut VIII, 3, quo loco Dio homines equos nobiles fortisque diligere, quamvis difficile sit eos educare et domare, dicit. quae sententia fortasse comparari potest cum Apomn. IV, 1, 3 [2]). ad eiusdem orationis § 14 contulit Geelius fortasse merito Anab. V, 4, 28, ubi Mossynoecos delphinorum adipe oleo uti

---

1) *Ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἂν εὐετηριῶν γενομένων ἀφθονία τῶν ἀγαθῶν γίγνηται, οὐδὲ τότε συγχαίρει ὁ τύραννος. ἐνδεεστέροις γὰρ οὖσι ταπεινοτέροις αὐτοῖς οἴονται χρῆσθαι.*

2) Cf. enim: *ἐπιδεικνύων τῶν τε ἵππων τοὺς εὐφυεστάτους θυμοειδεῖς τε καὶ σφοδροὺς ὄντας κτλ.* et quae de canibus dicta sunt.

narratur. sed quamquam verisimilis haud certa est haec imitatio, cum Dio ipse hunc morem nosse potuerit. eadem res est de Pontici mellis exemplo, quod Dio or. IX, § 6 affert. haec exempla e Xenophonte hausta esse verisimilius fit eo, quod etiam aliis locis talia exempla a Xenophonte deprompta esse invenimus. de Persarum moribus, venatione, aliis iam dictum est, de Mossynoecorum rege videbimus infra or. XIV, 20. aliud genus exemplorum ea sunt, quae Xenophon ipse e mythis et fabulis hausit, ut commemoravimus Tantali fortunam (VI, 55), Circen (VIII, 21), quem locum compares cum Apomn. I, 3, 7. ceteroquin his duabus orationibus vix quidquam simile inest, quamquam de voluptatibus Xenophon similiter Socratem dicentem facit Oecon. I, 20—23.

In oratione X Diogenes cum quodam colloquitur, qui servum fugitivum requisiturus profectus est. Diogenes postquam hominem stulte agere coarguit, cum ille se oraculi consulendi causa Delphos proficisci dixerit, etiam hoc stultum esse ostendit. invenies etiam in hac oratione Xenophontis vestigia. etenim postquam Diogenes hominem illum eo adduxit, ut intellegat melius se vivere sine servo, quam cum eo, homo dicit servum se venditurum esse, si receperit. qua de causa Diogenes valde eum vituperat et interrogat, num pecuniam timeat; pecuniam enim iis nocere, qui ea uti nequeant. quacum sententia comparari possunt Critobuli verba in Xen. Oec. I, 12: *λέγειν ἔοικας, ὦ Σώκρατες, ὅτι οὐδὲ τὸ ἀργύριόν ἐστι χρήματα, εἰ μή τις ἐπίσταιτο χρῆσθαι αὐτῷ κτλ.* sed licet longius progredi et totum illum Oeconomici locum cum hac orationis parte conferre, nam quibus hic Dio exemplis utitur, omnia fere redeunt ad Xenophontem neque abest verborum similitudo. vide enim exemplum equorum apud Dionem § 17, apud Xenophontem § 8, pecorum Dion. § 18, Xen. § 9, tibiarum Dion. § 20, Xenophontis § 10, et fortasse etiam terrae exemplum, quod Dio usurpavit § 15, Xenophonti debet (§ 8). videmus igitur etiam ordinem rerum ex parte quidem a Dione servatam, qualem apud Xenophontem legit [1]). quae deinde Diogenes de

1) Qua de re Xenophon etiam aliis locis loquitur isdem fere exemplis

Delphico illo: *γνῶθι σαυτόν* dicit, similia sunt iis, quae Apomn. IV, 2, 24—30 de dicto illo Socrates profert [1]. § 28 denique Diogenes ea, quae calleant, homines etiam sine oraculo facere posse dicit, quarum vero rerum imperiti sint, ne deo iubente quidem; quibuscum compares Apomn. I, 1, 9, quo loco Socrates nefarios eos appellat, qui a deo quaerant, quae ipsi assequi possint.

De orationibus septima, undecima, duodecima nihil fere habeo, quod ad Xenophontem referam, exceptis eis, quae Hagen ad duodecimam attulit. § 32 Dio idem repetit, quod iam or. III, 75—80 protulit, anni tempora a dis sapienter instituta esse (vide p. 18 et Hagen p. 30). ad § 39 Hagen inter alios aliorum scriptorum locos contulit Apomn. IV, 4, 19: *παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις πρῶτον νομίζεται θεοὺς σέβειν* (Hagen p. 4, n. 1). et quae Dio § 59 de arte dicit, similia recte eidem v. d. videbantur iis quae Socrates Apomn. III, 10, 1—5 de pictoribus profert (Hagen p. 72).

Oration. XIII, 21 Dio Palamedem affert, qui a Graecis interfectus est, quod eos sapientiores reddidit; confer Apomn. IV, 2, 33 huic simillimum. eiusdem orationis § 24 Persarum quidam mos commemoratur fortasse Dioni notus e Cyrop. I, 2, 16 vel VIII, 1, 42. Persis enim turpe est coram publico expuere. alter mos a Dione commemoratus apud Xenophontem non est. recte deinde Schmid l. l. ad § 27 attulit Apomn. IV, 2, 22, ubi idem dicitur indoctos non esse, qui artis alicuius imperiti sint, sed *οἳ τὰ καλὰ κἀγαθὰ οὐκ ἴσασιν* [2]. in oratione sequenti dubito num recte ad § 4—6 referri possit narratiuncula illa, quae est Cyrop. VIII, 3, 21, qua Xenophon narrat Daïphernem, ut liberior videretur, minus Cyro audientem fuisse, et eiusdem libri 1, 6, 21, ubi nautas et aegrotos gubernatori

---

usus, sic Apomn. II, 3, 6 equis. afferri potest etiam Apomn. I, 7, 23, ubi de tibiis et de nave res est.

1) Cf. etiam E. Weber l. l. p. 142 de hac parte: „vereor, ne genuina non sit, sed e Xenophontis mem. IV. 2, 24—30, quo loco Socratem de illo *γνῶθι σαυτὸν* similiter disputantem inducit, ab ipso Dione excerpta et elaborata“. qua de re infra agam.

2) Uterque scriptor exemplo sutoris utitur.

et medico obtemperare dicit; compara praeterea Anab. V, 4, 26. regem Persarum solum recta tiara uti legimus apud Dionem inter alios locos huius or. § 23, quocum confer Anab. II, 5, 23, cuius loci Dio fortasse memor fuit, cum totam sententiam scriberet (cf. etiam Cyrop. VIII, 3, 13).

In or. XXI vide, cum Dio narret, quomodo hominis pulchritudine ii qui eum aspiciunt, afficiantur, sine dubio ei ob oculos versatum esse Symp. I, 8—10. uterque scriptor pulchritudinem cum luce comparat, uterque pulchritudinem cum pudore coniunctam laudat aliaque, quae ipse legendo sentias. eiusdem loci Dio fortasse meminit or. XXIX, 7. in fine orationis XXVIII Dio de mortuo Melancoma dicit: *ἀνάγκη γὰρ αὐτῷ ἦν προβαίνοντι ἀντὶ μὲν καλλίστου αἰσχροτέρῳ γίγνεσθαι, ἀντὶ δὲ ἰσχυροτάτου ἀσθενεστέρῳ, ἴσως δὲ καὶ λειφθῆναί του.* quo loco certe Dio Xenophontem imitatur, cf. Apol. 6 [1]), ubi idem de Socrate dicitur. in sequenti oratione scriptor de eodem Melancoma longe aliam profert sententiam, cum dicat athletam illum semper pulcherrimum futurum fuisse, etiamsi senex factus esset. etiam hoc Xenophonti debere videtur, qui similia Critobulum dicentem facit Symp. IV, 17.

Pergendum nobis iam est ad eas orationes, quas Dio apud urbes habuit. quas per orationes Xenophontis vestigia hic illic dispersa sunt, neque paucae insunt sententiae, quae iam alibi apud Dionem legimus et Xenophonteae originis esse diximus [2]). quos breviter afferre mihi liceat. compara igitur or. XXXI, 15, deos sacrificiorum donorumque non egere cum Apomn. I, 3, 3 et Ages. XI, 2, prae-

---

1) Ruhnken (animadverss. in Xen. Mem.) attulit praeterea Apomn. IV, 8, 8, locum eiusdem argumenti. sed vide verbum *προβαίνειν* a Dione et Apologiae scriptore usurpatum, quam Dio certe Xenophonteam legit.

2) Dionem se ipsum excribere iam vidimus. compara praeter nobilem illum de Iove locum e. g. XLVIII, 16 cum XL, 32 et 40. apium civitas, de qua Dio hic et saepius agit, Xenophonti usitata est. cf. Cyrop. V, 1, 24; Oec. XVII, 14 alios locos. quare non certum est Dionem haec exempla a Cynicis recepisse (E. Weber l. l. p. 111). Vide praeterea or. L, 2 = XLIII, 3, quibus locis Dio exponit, cur Graecis veteribus maxime exemplis utatur; LXVIII, 3 = IV, 128; LXXII, 14 = XII, 6—9.

terea cum Dionis or. III, 52. in fine eiusdem orationis scriptor posuit exemplum nautarum, quod saepe invenitur. dicit enim navigantes nautae obtemperare, cum periculum immineat, securos autem superbire. plane idem legas apud Xenophontem Apomn. III, 5, 6. in oratione XXXIV, quod Dio § 42 dicit eum qui sine scientia rempublicam capessere velit, similem esse ei, qui medici artem indoctus imitari conetur, conferri potest Apomn. III, 6, 16, quo loco Socrates cum Glaucone de eadem re colloquitur, et Apomn. I, 7, iam commemoratum ad orationem decimam, item Oecon. I. familiares videntur hi loci Dioni fuisse, nam neque LIII, 3 neque XXXVIII, 28 alieni sunt ab hac sententia. quae in oratione XXXIX Dio de civitatum concordia dicit (cf. § 3 sqq.), similiter Dionem iam de amicitia exponere vidimus, cf. or. I, 31 sq. et quae ad illum locum attuli p. 6. ceterum ad civium concordiam in universum licet compares cum Dione Apomn. IV, 4, 16. eadem res est de or. XLI, 13 sq., quocum loco praeter locos modo commemoratos conferri potest or. III, 102 sq. (et quae ad eum dixi p. 14). oratio XLIII, cui inscribitur *πολιτικὸς ἐν τῇ πατρίδι* [1]), certe oratio omnino nulla est, sed qualis nobis tradita est, prooemium orationis cuiusdam esse potest. nam postquam Dio se cum Socrate comparavit, § 8—12, pergit: *πρὸς ταῦτα ἀπολογήσωμαι κτλ.* sed defensio deest. quae Dio § 8 sq. de Socrate narrat, hausit e Xenophonte et Platone. ac de Socratis audacia, qua contra triginta tyrannos usus est, cf. Apomn. IV, 4, 2. item e Memorabilibus haustum est responsum illud Socratis, quo tyrannos cum malis pastoribus comparat, qui boves multos et pulchros paucos et turpes reddunt (Apomn. I, 2, 32). certe etiam accusationem ex eodem fonte hausit Apomn. I, 1, 1 [2]). restat, ut de initio or. IL dicam, quod quamquam non plane eadem sententia inest, tamen comparandum mihi videtur esse cum Cyrop. I, 1, 1—3. res verisimilior eo fit, quod hoc loco Dionem uti iam antea vidimus or. I, 18—20.

---

1) Complurium orationum titulos ineptos esse facile intellegi potest. vide etiam quae de Arnim in Hermae vol. XXVI, p. 368 dicit.

2) Sed compara, quae de Socratis vitae fonte infra dixi.

In or. LIV fortasse cognoscas Xenophontis vestigia § 3, qua de Socratis publice philosophandi consuetudine sermo fit, quocum loco conferas Apomn. I, 1, 10. sequitur oratio, qua Socratem Homeri discipulum esse comprobatur. atque commemoranda nobis est § 9, qua Ruhnken Dionem Xenophontem imitari dicit (Apomn. I, 2, 37). In fine eiusdem orationis loco a multis tentato Cobet apud Geelium excidisse censet verba *Καλλίᾳ δὲ μύρων*, sine ulla specie veri. de toto loco cf. quae infra dixi p. 33 sqq. ex oratione LXII, de qua in excursu egi, afferam ad § 1 Xenophontis Cyrop. I, 1, 3, de quo loco iam bis locutus sum. in oratione LXVI Dio alludit ad Xenophontis Convivium, cum dicat § 27: *ἀλλὰ καὶ μύρον δεῖ καὶ αὐλητρίδα γενέσθαι καὶ μειράκιον ὡραῖον καὶ Φίλιππον τὸν γελωτοποιόν*, quae personae et res redeunt ad Convivium, cf. cap. I et II maxime [1]). transeamus ad or. LXIX, quae est de virtute. cuius orationis initium totum Dio mihi conformasse videtur e Xen. Apomn. I, 5, 1 sq., ubi dicit homines iis domos, divitias, civitatem credere, quos bonos viros esse cognoverint. similem sententiam iam invenimus ad or. XIV, 6, ubi attuli Cyrop. I, 6, 21 sq. porro de eo, qui se ipse ignorat et suam inscientiam, compara Apom. IV, 2, imprimis § 27. orationis LXX, § 6 bene conferri potest cum Oec. I, 2. nam sicut ibi Socrates Euthydemum interrogat: *ἦ καὶ ὥσπερ τούτων τῶν τεχνῶν (ἰατρικῆς, χαλκευτικῆς, τεκτονικῆς) ἔχοιμεν ἂν εἰπεῖν ὅτι ἔργον ἑκάστης, οὕτω καὶ τῆς οἰκονομίας δυναίμεθ᾽ ἂν εἰπεῖν ὅτι ἔργον αὐτῆς ἐστι*, eodem fere modo hic Dio de philosophia interrogat. restant duae illae orationes, quae inter se cohaerere videntur, *περὶ νόμου* et *περὶ ἔθους* (LXXV

1) In hoc de unguento sermone (Symp. II, 4) locus corruptus est, quem iam complures viri docti tentarunt: Lyco interrogat: *Ἀλλὰ πόθεν δή;* (scil. *τοῦτο τὸ χρῖμα λάβοι τις ἄν*) et Socrates respondet: *ὁ μὲν Θέογνις ἔφη ἐσθλῶν μὲν γὰρ κτλ.* in hoc responso offendit primum *μὲν* illud, tum articulus nomini adiectus, tertium *ἔφη*, quod ad Theognidem referri nequit, quoniam Xenophon poetarum dicta addito *φησίν* afferre solet. quare equidem non lacunam statuam, sed scribam facili traditae lectionis mutatione *ὅθεν* pro *ὁ μέν*, ita ut Socrates Lyconis interrogationem *ἀλλὰ πόθεν δή;* excipiat responso: *ὅθεν Θέογνις* (*ἔφη* illud a scriptore additum Socratem respicit).

et LXXVI). quarum argumenta licet compares cum Xenophontis Apomn. IV, 4, ubi Socrates cum Hippia de iisdem rebus colloquitur. confer praecipue or. LXXV cum Apomn. IV, 4, 16 (civitates sine legibus stare non posse). recte contulit Duemmler eiusdem orationis § 6 et 8 sq. cum Apom. IV, 4, 17. porro quae in universum de more dicuntur, consentiunt cum Apomn. IV, 4, 19. leges tolli possunt ab hominibus; sic Dio LXXVI, 2, Xenophon § 14 [1]).

Iam ad finem pervenimus, et si non omnia, tamen tam multa attulisse mihi videor, ut satis perspici possit, quomodo et quantum Dio Xenophonte sit usus.

II. DE ALIIS SCRIPTORIBUS A DIONE LECTITATIS.

Sed antequam in universum de Dione Xenophontis sectatore verba faciamus, nonnulla de aliis quibusdam scriptoribus addere oportet, quos Dio vel imitatus esse vel citasse videtur.

a. DE PLATONE. Praeter Xenophontem unum scriptorem amplius tractemus, quem summa auctoritate apud Dionem fuisse statim intelleges, Platonem dico.

Atque illum quidem quamquam in oratione decima octava nominatim non laudat [2]), alio loco Dio quanti aestimet aperte indicat. or. XXXVI, 26, 29 haud pauca de Platone dicuntur, quibus cum Homero comparatur. praeterea compluribus locis Dio Platonis verba affert modo adiecto modo omisso auctoris nomine. huius generis sunt I, 13; XII, 38; XVIII, 4; XXIV, 3, illius II, 47; LIII, 2; LIII, 5. etiam ille locus memoria dignus est, quo Platonis Rempublicam affert, ut

---

1) Falso autem F. Dümmler (Academica p. 247 sqq.) coniecit et Dionem et Xenophontem ad Hippiae sophistae librum redire, quoniam Dio ipse manifesto se Hippiae scripta ignorare dicit or. LIV, 4. ceterum Dionis in his orationibus fons dubitari potest, utrum Xenophon an Stoicus quidam scriptor fuerit.

2) Cf. § 13: *τοὺς μὲν δὴ ἄλλους (Σωκρατικοὺς) μακρὸν ἂν εἴη ἔργον ἐπαινεῖν καὶ ἐντυγχάνειν αὐτοῖς οὐ τὸ τυχόν.*

suam dicendi rationem defendat, or. VII, 130 sq. [1]). quae cum ita sint, iure suspiceris etiam aliis locis Platonis vestigia in Dionis scriptis inveniri. et iam multa a viris doctis allata sunt, quibus haec suspicio probetur, imprimis a Paulo Hagen. itaque cum ipse Platonem non tanta cura, quanta Xenophontem, ad nostram quaestionem perquisierim, hac in re aliorum auxilio maxime nitor. iam breviter hanc rem tractemus, nam spero hoc modo factum iri, ut de Dionis ingenio certius iudicium feramus.

Atque statim or. I, 8 Dio, cum dicat non musicae esse homines ad virtutem excitare, sed philosophiae, fortasse recordatur Platonis Phaedon. 61 A, quo loco Socrates somnium se musicam id est philosophiam tractare dicit iussisse. deinde ad eiusdem or. § 13, qua Dio breviter de malo rege loquitur, conferas Platonis Reipubl. X, 579 B et E, quae iis similia sunt, et verba *οὐχ ἑστιάτορα καὶ δαιτυμόνα, ὥς ἔφη τις*, respiciunt Reipubl. I, 345 C [2]). ad sequentem paragraphum Barner contulit Reipubl. VI, 485 E et III, 390 E, ut Dionem vocabulum *φιλοχρήματος* e Platone hausisse demonstraret, et eiusdem operis IX, 579 C, 590 C, quod Plato illis locis similiter dicit eum, qui sui ipsius potens non sit, aliis imperare nequire. quo loco dubitari potest, utrum Dio Platonem sequatur an Xenophontem, id quod e verborum structura discerni non potest. tum quod apud Dionem legimus § 20 bonum regem *ἵλεων καὶ πρᾷον παρέχειν τὴν ψυχὴν πᾶσιν*, Plato iisdem verbis utitur Reipubl. VIII, 566 E: *καὶ πᾶσιν ἵλεώς τε καὶ πρᾷος εἶναι προσποιεῖται*, ubi res est de malo rege [3]). etiam § 28 sq.

1) Audi ipsum: *ἴσως οὖν οὐδὲ ἐκεῖνο μεμπτέον, ὅστις περὶ ἀνδρὸς δικαίου καὶ δικαιοσύνης λέγειν ἀρξάμενος, μνησθεὶς πόλεως παραδείγματος ἕνεκεν, πολλαπλάσιον λόγον ἀνάλωσεν περὶ πολιτείας, καὶ οὐ πρότερον ἀπέκαμε πρὶν ἢ πάσας μεταβολὰς καὶ ἅπαντα γένη πολιτειῶν διεξῆλθε, πάνυ ἐναργῶς τε καὶ μεγαλοπρεπῶς τὰ ξυμβαίνοντα περὶ ἑκάστην ἐπιδεικνύς· εἰ καὶ παρά τισιν αἰτίαν ἔχει περὶ τοῦ μήκους τῶν λόγων καὶ τῆς διατριβῆς τῆς περὶ τὸ παράδειγμα δήπουθεν· ἀλλ᾽ ὡς οὐδὲν ὄντα πρὸς τὸ προκείμενον τὰ εἰρημένα καὶ οὐδ᾽ ὁπωστιοῦν σαφεστέρου δι᾽ αὐτὰ τοῦ ζητουμένου γεγονότος, οὗπερ ἕνεκεν ἐξ ἀρχῆς εἰς τὸν λόγον παρελήφθη, διὰ ταῦτα, εἴπερ ἄρα, οὐ παντάπασιν ἀδίκως εὐθύνεται.*

2) *Ὥσπερ δαιτυμόνα τινὰ καὶ μέλλοντα ἑστιάσεσθαι* ... etiam Plato hoc loco de pastore loquitur, ut saepius cf. Minos 321 C.

3) Dubito num recte ad § 25 Morellius in scholio rettulerit Platonis

Dio aperte Platonem imitatur usus exemplo illo canum et gregis, quod invenies Reipubl. III, 416 A. bonus rex ad Iovis exemplum vivit; sic Dio § 37 et Plato Reipubl. X, 613 A [1]). in sequenti sectione Dio, cum de Minoe loquatur, sane respicit Odysseae *τ* 179, sed fortasse etiam Platonis de illo verba, Minos 319. § 42 Dio de mundo sapienter et recte instituto loquitur, quibuscum comparare licet Plat. Phileb. 28 E vel Legum 897 C, ubi similia dicuntur. ad § 49 recte Hagen monet Dionem fabulam illam similem in modum inducere, quo Socrates apud Platonem Symp. 201 D. in fabula ipsa Dio Platonico dicto utitur, cum tyrannidem his verbis describat: *χρώματα δὲ παντοδαπὰ ἠφίει*, cf. Lysid. 222 B: *παντοδαπὰ ἠφίει χρώματα.*

In or. II perpauca videntur esse, quibus Dio Platonem imitatur. iam antea attuli § 47, in qua Platonem affert. est locus Reipubl. III, 404 B: *οἶσθα γὰρ ὅτι ἐπὶ στρατείας ἐν ταῖς τῶν ἡρώων ἑστιάσεσιν οὔτε ἰχθύσιν αὐτοὺς ἑστιᾷ καὶ ταῦτα ἐπὶ θαλάττῃ ἐν Ἑλλησπόντῳ ὄντας.* etiam Plato dicit bonum regem immodicum risum aspernari, cf. Dio § 56 et Xen. Cyrop. VIII, 1, 33; Plato Reipubl. III, 388 E (sed de hoc loco vide, quae infra dixi p. 44).

Quod Dio initio orationis III narrat Socratis illud de Persarum regis beatitudine dictum, iam pridem viderunt viri docti simile esse eius quod Plato in Gorgia p. 470 sq. narrat. verba *οὐκ ἔφη δὲ αὐτὸς εἰδέναι διὰ τὸ μὴ συγγενέσθαι αὐτῷ* ad verbum fere repetita sunt ex Socratis responso: *οὐκ οἶδα, ὦ Πῶλε, οὐ γάρ πω συγγέγονα τῷ ἀνδρί.* Dio ipse sua verba repetit or. IV, 17 de Alexandro [2]). praeterea in rege bono

---

de sententia *ἵνα δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς* disputationem, quae certe non est in Ione, ut vir doctus per errorem dicit, sed Euthyphron. 12 C.

1) Cf. verborum similitudinem: *καὶ ἐπιτηδεύων ἀρετὴν εἰς ὅσον δυνατὸν ἀνθρώπῳ ὁμοιοῦσθαι θεῷ.*

2) Unum locum emendationis causa praetereundo tangam. est § 28, ubi editores verba *οὗτοι γὰρ ὑγιεινοὶ καλοῦνται ἰατροί* aut delerunt aut mutarunt. equidem Iacobsium verum restituisse puto, cum scriberet: *καλοῦνται καὶ ἰατρικοί*, cf. Platon. Polit. 299 B sqq., qui coniungit *τότε ἰατρικὸν καὶ τὸ ὑγιεινόν, οὐδὲ τὸ κυβερνητικὸν καὶ ναυτικόν.*

depingendo Dio non minus hic quam in prima oratione praeter Xenophontem etiam Platonicis coloribus uti videtur, ut § 39, cum dicat regem bonum civium commodum spectare; cf. Reipubl. I, 347 D. deinde iam ad Xenophontem commemoravi § 52, ubi deos sacrificiis et donis malorum Dio delectari negat. quibuscum consentiunt Platonis Legum X, 907 A et Pseudoplatonis Alcib. II, 149 E. tum quod Dio heroes affert animas virorum optimorum, comparari potest Platonis Reipubl. V, 469 A sq. etiam § 62 Dio Platonem imitari videtur, cum dicat: *ὁρᾷ γάρ, ὅτι πανταχοῦ τὸ βέλτιον τοῦ ἥττονος ἔταξεν ὁ θεὸς προνοεῖν τε καὶ ἄρχειν.* cf. Gorg. 483 D, maxime: *οὕτω τὸ δίκαιον κέκριται, τὸν κρείττω τοῦ ἥττονος ἄρχειν καὶ πλέον ἔχειν.* porro ad § 75, ubi de Sole Dio loquitur, Hagen contulit Phaedri 245 E; ad § 116, quae est de amicitia, cf. Platonis verba Reipubl. IX, 576 A: *φιλίας ἀληθοῦς τυραννικὴ φύσις ἀεὶ ἄγευστος.* etiam sequens oratio nonnullas Platonicas sententias praebere videtur. § 40 Dio iterum de Minoe Iovis familiari loquitur, de quo iam dixi. ad § 93 Schmid Platonis Ion. 533 D contulit, quo loco eodem exemplo Plato utitur, quo hic Dio. Sarambus *ὁ κάπηλος* videtur Dioni notus fuisse e Platon. Gorg. 518 B.

Prooemium Lybici mythi, quem Dio or. V narrat, e Platone mutatum et amplificatum esse ostendit Hagen p. 7 n. 3, cf. Phaedr. 229 C D. in orationibus de Diogene scriptis vix Platonis vestigia invenies, excepta decima, in qua Dio de deorum sermone loquitur § 23. eadem exempla Homerica invenimus apud Platonem Cratyl. 391 D sqq. at dubitari potest, num Dio Platonem sequatur, quoniam haec exempla vulgo nota fuisse verisimile est (cf. Hagen p. 43—65). ad orationem Iliacam Hagen nonnulla attulit, ut ad § 17, in qua Dionem eodem exemplo Autolyci uti monet, quo Plato Reipubl. I, 334 B. quod Dio pergit: *περὶ δὲ θεῶν . . . καὶ οἱ πάνυ ἐπαινοῦντες αὐτόν* respicit Reipubl. II, 383 A et in § 18 Reipubl. II, 378 D, ubi Homerus item propter mendacia vituperatur [1]). initio or. XII Geelius adnotavit prima verba

1) Ad XI, 22: *ἐπέθηκε τὸν κολοφῶνα* cf. Plat. Euthyd. 301 E, qui

ἀλλ' ἢ τὸ λεγόμενον repetita esse ex initio Gorgiae, ubi Socratis sermo iisdem verbis incipit. § 33 Dio de usu quodam mysteriorum loquitur, quem legimus apud Platonem Euthyd. 277 D. § 38 Dionem Platonem spectare iam antea dixi; est Theaet. 172 D: *κατεπείγει γὰρ ὕδωρ ῥέον* [1]. quod Dio in sequentibus duas deorum venerationis species discernit, *ἔμφυτον* et *ἐπίκτητον*, recte monuit Hagen Platonem cupidinem duplicem vocare, *ἐπίκτητον* et *ἔμφυτον* in Phaedro p. 237 D. in or. XIII Dio aperte Platonem imitatur inde a § 14. de hac oratione autem infra accurate agam, ubi locos conferam [2]. or. XV, § 11 sumpta est e Platonis Theaet. 175 A, et Dio ipse indicat haec sua non esse, cum addat *ὥς φασιν*. confer ipse:

Plato:

Παντάπασιν ἀμβλὺ καὶ ἐπὶ σμικρὸν ὁρώντων ἡγεῖται τὸν ἔπαινον, ὑπὸ ἀπαιδευσίας οὐ δυναμένων εἰς τὸ πᾶν ἀεὶ βλέπειν οὐδὲ λογίζεσθαι ὅτι πάππων καὶ προγόνων μυριάδες ἑκάστῳ γεγόνασιν ἀναρίθμητοι, ἐν αἷς πλούσιοι καὶ πτωχοὶ καὶ βασιλεῖς καὶ δοῦλοι βάρβαροί τε καὶ Ἕλληνες πολλάκις μυρίοι γεγόνασιν ὁτῳοῦν.

Dio:

Τοῦτο δὲ οὐ δυνατόν ἐστιν, ὦ βέλτιστε, ὥς φασιν, ἐκ τοῦ παντὸς αἰῶνος εἶναί τι γένος ἀνθρώπων, ἐν ᾧ οὐκ ἄπειροι μὲν ἐλεύθεροι γεγόνασιν, οὐκ ἐλάττους δὲ τούτων οἱ δεδουλευκότες· καὶ νὴ Δία τύραννοι καὶ βασιλεῖς καὶ δεσμῶται καὶ στιγματίαι κτλ.

Ad orationem XVI animadvertendum est Dionem Platoni

---

praeter auctorem tertiae epistulae Socraticae solus eodem tropo uti videtur.

1) Iniuria igitur Schmid in Philologi vol. XLVII, p. 24 verba *ὥσπερ οὖν ἔφη τις* mutanda censet in *ὥσπερ ἂν ἔφῃ τις*. neque dubito, quin in idem vitium Schmid inciderit, cum mutaret or. V, 4: *ὡς ἔφη τις* in *ὡς ἂν φαίη τις*, nam Dionem hic certum quamvis adhuc ignotum auctorem spectare ex eo comprobari potest, quod Dio ipse fabulam, non legem prolaturus est.

2) Ad or. XIV, § 2 Morellius iniuria attulit Sophist. 228 D; ceterum hoc loco verba: *καὶ τῶν συμφερόντων*, quae non referri possunt ad *φεύγειν*, delenda esse puto.

contraria dicere, cum turpius censeat maerore vinci quam voluptate, cf. Legg. 633 E. ad or. XVIII, § 4, ubi Platonem intellegendum esse iam dixi, confer Phaedr. 242 C: *εἰμὶ δὴ οὖν μάντις . . . ὅσον μὲν ἐμαυτῷ μόνον ἱκανός.* quod de singulorum hominum daemonibus Dio or. XXIV loquitur, comparari possunt multi Platonis loci, Alcib. 134 A; Phaedon. 107 D; Legg. 730 A etc. in eadem oratione § 3 Dio dictum Prodici affert, sed certe non e Prodico ipso, sed e Plat. Euthyd. 305 C: *οὕς . . . μεθόρια εἶναι φιλοσόφου τε ἀνδρὸς καὶ πολιτικοῦ.* Platonica etiam sunt, quae Dio paulo ante dicit: *ἐν δικαστηρίοις ἀγωνίζεσθαι* (Euthyd. 305 B). in fine eiusdem orationis non omnium hominum laudes appetendas esse, sed optimorum solum Dio dicit; idem fere Plato Criton. 47. de oratione XXVI, quam totam ad Pseudo-Platonis Sisyphi exemplum conscriptam esse nuper viri docti intellexerunt, infra diserte agam. Quod Dio or. XXIX, 7 dicit de pulchritudine, fortasse meminit Phaedr. 250 B D. accuratius deinde Hagen de oratione XXX egit (p. 18 sqq.). comparavit § 8 cum Platonis Reipubl. 380 C (omnium bonorum dei auctores sunt; idem or. XXXII, 14), § 10 et 11 cum Cratyl. 400 C (Gorg. 493 A), § 25 cum Phaedon. 62 B, § 26 cum Critiae 109 B, 27 cum Legg. 713 D, 30—32 cum Polit. 272 A, E, ita ut intellegas permulta huius orationis Platonica esse. qua de re infra nobis dicendum erit.

Ceteris Dionis orationibus non tam multa Platonica insunt. or. XXXI, 58 Dio homines bonos et iustos a dis diligi dicit, quam ad sententiam cf. Reipubl. 352 B, 382 E. in sequentis orationis § 25 scribenda Dio fortasse rursus Reipublicae, libri familiarissimi meminit, cum civitatem cum homine compararet. ad eiusdem or. § 63 sqq. Hirzel in dialogi vol. II, p. 109, 4 recte attulit Phaedr. p. 259. de oratione XXXVI Hagen amplius disseruit p. 21 sqq. quae Dio § 22 de siderum ordine dicit, comparavit cum Legg. 822 A, Epinom. 982 E et 984 D; accurate contulit § 39 sqq. cum Phaedr. 247 sqq. de magis (Dio § 41) Plato Alcib. 122 loquitur. § 47 sqq. consentiunt cum Timaei 22 B; 23 B. ad § 66 denique Phileb. 33 B attulit, Timaei 37 C. quae Dio in oratione XXXVIII de concordia dicit, imprimis

§ 11, conferri possunt cum Pseudo-Platonis Clitoph. 409 D sqq. de fratrum concordia (§ 45) similia Plato dicit Menex. 247 C. or. XLIII, 8 de Leonte Salaminio (res narratur Xen. Hell. I, 5—7) certe non e Xenophonte, sed e Plat. Apol. 32 C Dio hausit. ad or. LIII, quae est de Homero, Hagen rursus nonnulla attulit e Platone deprompta (vide p. 42 sq.). Dio ipse Platonem nominat § 2, respiciens Reipubl. II, 378 D; 386 A B. in fine eiusdem sectionis Dio exemplo pullorum equinorum utitur, cf. Reipubl. X, 595 B. § 5 Dio Platonis sententiam affert, quae est Reipubl. III, 398 A: *ἄνδρα δή, ὡς ἔοικε, δυνάμενον ὑπὸ σοφίας παντοδαπὸν γίγνεσθαι καὶ μιμεῖσθαι πάντα χρήματα ... ἀποπέμποιμέν τε εἰς ἄλλην πόλιν μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέαντες καὶ ἐρίῳ στέψαντες.* in fine orationis rursus Minois mentio fit. or. LV, 22 commemoratur Platonis Meno. or. LX, 2 Dio unius hominis peritiam praeferendam esse dicit multorum suspicionibus; similiter Plato Criton. 47. or. LXVI, 2 Dio fortasse Platonem imitatur, cum afferat idem exemplum hominum, qui pecudibus ramos porrigunt, ut secum ducant, cf. Phaedr. 230 D. or. LXXI, 2 de Wilamowitz pendere vidit et emendavit ex Hippia II, p. 368 C:

Plato:	Dio:
Ὡς ἐπιστάμενος δακτυλίους γλύφειν, καὶ ἄλλην σφραγῖδα σὸν ἔργον καὶ στλεγγίδα καὶ λήκυθον, ἃ αὐτὸς εἰργάσω· ἔτι τὰ ὑποδήματα ἃ εἶχες ἔφησθα αὐτὸς σκυτοτομῆσαι, καὶ τὸ ἱμάτιον ὑφῆναι καὶ τὸν χιτωνίσκον. καὶ ὃ πᾶσιν ἔδοξεν ἀτοπώτατον καὶ σοφίας πλείστης ἐπίδειγμα, ἐπειδὴ τὴν ζώνην ἔφησθα τοῦ χιτωνίσκου, ἣν εἶχες ... ταύτην δὲ αὐτὸς πλέξαι. πρὸς δὲ τούτοις ποιήματα ἔχων ἐλθεῖν ... καὶ καταλογάδην	*Ὥσπερ ὁ Ἠλεῖος Ἱππίας ... οὐ μόνον ποιήματα παντοδαπὰ καὶ λόγους αὑτοῦ ποικίλους προφέρειν ..., ἀλλὰ καὶ ἄλλα ἔργα, τόν τε δακτύλιον καὶ τὴν λήκυθον καὶ στλεγγίδα καὶ τὸ ἱμάτιον καὶ τὴν ζώνην, ὡς ἅπαντα πεποιηκώς αὐτός.*

πολλοὺς λόγους καὶ παντοδαποὺς συγκειμένους.

Sed iam satis dictum videtur de Platone, nam quamquam certe multa eiusmodi adhuc latent, haec sufficiunt ad illustrandam Platonis apud Dionem auctoritatem.

b. DE AESCHINE SOCRATICO. Hunc scriptorem Dioni notum fuisse unum testimonium extat, locus graviter corruptus et a compluribus viris doctis iam tentatus. quem ut adirem, adduxerunt me studia amici Henrici Dittmar, qui post C. F. Hermann denuo Aeschinis Socratici fragmenta collecturus ea, quae adhuc de Anyto et Telauge comperta habuit, mecum communicavit.

In oratione LV inde a § 13 de personis agitur, quas Socrates et Homerus inducunt: *Σωκράτης δὲ ἐνόμιζεν, ὁσάκις μὲν ἀλαζόνα ἄνθρωπον εἰσάγει, περὶ ἀλαζονείας λέγειν· ὁπότε δὲ ἀναίσχυντον καὶ βδελυρόν, περὶ ἀναιδείας καὶ βδελυρίας· ὁπότε δὲ ἀγνώμονα καὶ ὀργίλον, ἀγνωμοσύνης καὶ ὀργῆς ἀποτρέπειν* (§ 13). deinde idem Homerum fecisse exemplis Dolonis Pandari aliis comprobatur. pergit scriptor § 22: *οὐ τοίνυν οὐδὲ Σωκράτης ἄλλως ἐχρῆτο τοῖς λόγοις οὔτε τοῖς παραδείγμασιν, ἀλλά* ... expectamus igitur in sequentibus personas Socraticas inductum iri, quae ob aliquam causam a Socrate irrideantur vel vituperentur. iam videamus, quid de singulis dici possit: afferuntur Anytus, Lysicles, Lyco (sic recte Geel restituit), Meno. nam Lysidem et Charmidem delendos esse recte primus monuit de Wilamowitz in Hermae vol. X, p. 143 sqq. idem probatur e toto sententiarum conexu. et de Menone quidem nihil addendum est, quoniam sine dubio Platonis respicit scriptum.

Gravior de Anyto quaestio est. Dionis verba sunt: *Ἀνύτῳ μὲν διαλεγόμενος βυρσέων ἐμέμνητο καὶ σκυτοτόμων.* unde Dio haec sumpsit? de sutoribus Plato cum Anyto Socratem colloquentem facit Menon. p. 90 C. *Σω: Τί δ᾽ εἰ σκυτοτόμον ἀγαθὸν βουλοίμεθα γενέσθαι, ἆρ᾽ οὐ παρὰ τοὺς σκυτοτόμους; Αν: ναί.* sed neque irridet neque vituperat Socrates eum. alia est res in Pseudo-Xenophontis Apologia § 29: *λέγεται δὲ*

καὶ Ἄνυτον παριόντα ἰδὼν εἰπεῖν, ἀλλ' ὁ μὲν ἀνὴρ ὅδε κυδρός, ὡς μέγα τι καὶ καλὸν διαπεπραγμένος, εἰ ἀπέκτονέ με, ὅτι αὐτὸν τῶν μεγίστων ὑπὸ τῆς πόλεως ὁρῶν ἀξιούμενον οὐκ ἔφην χρῆναι τὸν υἱὸν περὶ βύρσας παιδεύειν. hic locus, cui sane inest, quod quaerimus, sed neque satis magni momenti neque ex dialogo sumptus, ita ut vix credas Dionem eum respicere, optime illustratur scholio Clarkiano ad Platonis Apol. 18 B: *οὗτος ὁ Ἄνυτος Ἀνθεμίωνος ἦν υἱός, Ἀθηναῖος γένος, Ἀλκιβιάδου ἐραστής, πλούσιος ἐκ βυρσοδεψικῆς· ὅθεν καὶ σκωπτόμενος ὑπὸ Σωκράτους διὰ τοῦτο* [1]... *ἔπεισε μισθῷ Μέλητον ἀσεβείας γραφὴν δοῦναι κατὰ Σωκράτους. μέμνηται Λυσίας ἐν Σωκράτους ἀπολογίᾳ καὶ Ξενοφῶν ὁμοίως, καὶ Ἀριστόξενος ἐν τῷ Σωκράτους βίῳ.* inter hos scholiastae fontes dialogus non est. eadem res narratur in Socraticorum epistula XIV ab Aeschine ad Xenophontem data (p. 19 Or.). non opus est verba afferre, quia non multum distant a loco Ps. Xenophonteo. etiam Libanius de Socratis et Anyti colloquio agit in Socratis apologia p 10 R (vol. III), sed non hausit e Xenophonte, cum multo plura de hac re narret. neque Libanius alius fontis vestigium praebet. quam ob rem cum coniectura opus sit, et ipse statim de Aeschine cogitavi. Aeschinem omnium Socraticorum minime Socratis philosophiam, sed potius vitam in scenam produxisse et multas de magistro fabulas et narratiunculas servasse ex omnibus, quae de eius scriptis adhuc scimus, constat. Aeschines fortasse etiam indicatur epistula Socratica modo commemorata. sed certum huius scriptoris dialogum afferre nequimus, in quo Anytus progressus sit; fortasse in Alcibiade eum induxit, cuius amator Anytus fuisse dicitur non solum a scholiasta Platonico, sed etiam a Satyro apud Athenaeum XII, p. 534 E, a Plutarcho in vita Alcibiadis 4 et Amat. p. 762 C. Anytus in Alcibiade eodem iure procedere potuit, quo Lysicles in Aspasia, cuius amator fuit.

---

1) In codice videtur lacuna fuisse, quam verborum contextus non praebet. fortasse scribendum est: *Σωκράτους· διὰ τοῦτο* <*ὀργισθεὶς αὐτῷ*> *ἔπεισε*. . . .

Post Anytum de Lysicle Dio loquitur: *εἰ δὲ Λυσικλεῖ διαλέγοιτο, προβάτων καὶ καπήλων.* respicit Dio hoc loco Aeschinis Aspasiam, ut C. F. Hermann p. 17 docuit comparato Plutarchi Pericl. c. 24. Hermann verba *προβάτων καὶ καπήλων* delevit, cum ea nata esse censeret ex glossemate *προβατοκαπήλῳ*, et pro iis induxit *περὶ ἀμνίων καὶ κωδίων* (*ἀμνίων* pro tradito *ἀμιδίων*). sed *ἀμνίον* non est pellis, neque *προβατοκάπηλος* cum *κωδίοις* coniungendus est. praeterea equidem non puto interpolatione haec orta esse. cum Anyto, scilicet *βυρσοδέψῃ*, colloquitur Socrates *περὶ βυρσέων καὶ σκυτοτόμων*, cum Lysicle *προβατοκαπήλῳ* de qua re censes eum aptius collocutum esse quam *περὶ προβατοκαπήλων*? ergo *προβάτων καὶ καπήλων* corruptum videtur ex *προβατοκαπήλων καὶ* .... (deest aliud vocabulum similis significationis).

Sequitur locus difficillimus: *Λύκωνι δὲ δικῶν καὶ συκοφαντημάτων καὶ ἀμιδίων καὶ κωδίων.* ac primum quidem e tota loci indole apparet duo ultima vocabula ab antecedentibus secernenda esse. de Lycone nihil adhuc scimus, quod ad hunc locum bene quadret (Plato Apol. 23 E: *Λύκων δὲ [μοὶ ἐπέθετο] περὶ τῶν ῥητόρων*). improbabilis est Hermanni coniectura, qui Lyconem item in Aspasia fuisse dicit, nam videmus Anytum et Menonem non ex eodem dialogo sumptos esse. de Wilamowitz verba *ἀμιδίων καὶ κωδίων* ab interpolatore comoediae Atticae gnaro ad ea, quae de Lycone dicta sunt, addita esse censebat in Hermae vol. VII, 143. sed ne hoc quidem mihi placet.

Optime autem cum hoc loco H. Dittmar contulisse mihi videtur Athenaei locum V, p. 220 A: *ἐν μὲν τῷ Τηλαύγει ... τὸν δὲ Τηλαύγην αὐτὸν ἱματίου μὲν φορήσεως καθ' ἡμέραν ἡμιωβόλιον γναφεῖ τελοῦντα μισθὸν κωδίῳ δὲ ἐζωσμένον καὶ τὰ ὑποδήματα σπαρτίοις ἐνημμένον σαπροῖς ... διαγελᾷ.* quid? nonne cum Telauge, homine sordidissimo, Socrates etiam de matulis colloqui potuit? quare tenendum censeo *ἀμιδίων* (vox a Sexto Empirico usurpata, cf. de Wilamowitz l. l. p. 144, 2) et post *συκοφαντημάτων* inserendum *Τηλαύγει δὲ, ἀμιδίων καὶ κωδίων.*

Videtur igitur Dio tribus Aeschinis dialogis usus esse, Alcibiade, Aspasia, Telauge. quae res sane memorabilis est, quamquam vix sperare licet fore, ut e Dionis scriptis Aeschinis fragmenta eruantur. ad Aeschinis Aspasiam fortasse etiam referendum est Rhodogunes nomen in or. XXI, 7, confer C. F. Hermann p. 18.

c. **DE DEMOSTHENE.** De Dionis fontibus historicis agere neque nostrum est et ab Hauptio in Philologi vol. XLIII, p. 385 sqq. iam factum est. de Herodoto cf. praeterea Hagen p. 32 sq. duobus autem locis Dio Demosthenis verba affert, quem eum permagni aestimasse etiam Philostratus tradit, cum dicat: *ἀπὸ δυοῖν βιβλίοιν ἑαυτὸν ξυνεῖχεν· ταυτὶ δὲ ἦν ὅ τε Φαίδων ὁ τοῦ Πλάτωνος καὶ Δημοσθένους ὁ κατὰ τῆς πρεσβείας.* Dionis loci sunt or. XXII, 5: *ὥσπερ ἐπὶ τρυτάνης, ἔφη τις οἶμαι τῶν ῥητόρων αὐτῶν, κατὰ τὸ λῆμμα ἀεὶ ῥέποντες,* cf. Dem. de corona § 369, quo loco lecto facile intelleges Dionem de memoria Demosthenis verba recitare. VII, 114, ut me de Wilamowitz docuit, exempla Dio e Demosthene sumpsit, or. LVII, § 35. 45. qui locus Dionis in errorem duxit nuper Eduardum Meyer *(die wirtschaftliche entwicklung des altertums, jahrbücher f. national-oekonomie 1895, bd. 64, s. 747),* cum crederet de sua aetate Dionem dicere quae e Demosthene hausit. iam ex his duobus locis apparet oratorem illum Dioni familiarem fuisse, et operae pretium est de hac re accuratius agere. ad nostram quaestionem sufficiunt pauca exempla. adde or. XXXI, 128, quo loco Dio Leptineae orationis meminit, quoniam eius rogationem certe aliunde non novit. Dio Demosthenem se valde admirari ipse dicit or. XVIII, 11: *Δημοσθένην δυνάμει τε ἀπαγγελίας καὶ δεινότητι διανοίας καὶ πλήθει λόγων πάντας τοὺς ῥήτορας ὑπερβεβληκότα.*

d. **DE ISOCRATE.** Gravior est quaestio de ratione, quae inter Dionem et Isocratem intercedat. qua de re egit B. Keil in Hermae vol. XXIII, p. 365 sq. Keil contendit Dionem

in oratione altera contra Isocratem pugnare, cum Alexandrum Homerum summis laudibus efferentem, Hesiodum, Phocylidem, Theognidem autem rege indignos putantem faciat; nam Isocrates in oratione ad Nicoclem scripta plane contrariam sententiam profert (cf. § 43 et 48 sq.). in oratione octava decima Dio Isocratem omnino non affert et recte quidem Keil Dionem ab Isocratis ingenio et dicendi genere plane alienum esse dicit. quam ob rem vir doctus, si recte intellego, Dionem non ipsum, sed fontem eius contra Isocratem pugnare censet, quem in oratione altera secutus sit. sed ad hanc quaestionem opus est, ut diligentius percenseamus Dionis orationes et videamus, num omnino Dio cum Isocrate consentiat. quem ad finem eas Dionis orationes adii, quas de regno scripsit, primam alteram tertiam. ac primum quidem eos locos afferam, quibus Dio cum Isocrate consentire videtur. omnes loci, quos ex Isocrate afferam, sunt in oratione altera excepto uno, ita ut Isocratis ordinem sequi melius videatur. or. II, § 14 comparari potest cum Dionis III, 62, ubi dicitur meliorem semper deteriori imperare. in sequenti sectione Nicocles iubetur *φιλάνθρωπος* et *φιλόπολις* esse, confer Dionis I, 20 et 28. quod Isocrates § 15 dicit eum, qui alios regat, cura eorum delectari debere, similia invenies apud Dionem III, 56. optimi cives honoribus afficiuntur, omnes a rege curantur: sic Isocrates § 16, Dio I, 17. de deorum veneratione similiter Isocrates § 20, Dio III, 52. rex debet esse bellicosus et pacis amans (§ 24): cf. Dionis III, 27. de amicorum usu Isocr. § 27, Dio III, 89. multa regem per alios facere necesse est, Isocr. § 27, Dio III, 87. rex sui ipse potens sit, Isocr. § 29; compara cum Dionis I, 14. regis continentia civibus exemplo sit: Isocr. § 31 et or. III, 37, Dio III, 7. pulchris vestimentis utatur; compara Isocr. § 32 cum Dionis II, 49. fortasse etiam comparari potest initium Isocr. orationis alterius cum Dionis oratione prima, cum uterque scriptor causam proferat, de qua ad principem de bono rege loquatur. vide autem quantum distet Dionis modestia ab Isocratis confidentia. sed his de regno locis solis nisi fieri non potest, ut Isocratem Dionis fontem esse contendamus, primum,

quod longe plurimi horum locorum eius generis sunt, ut etiam apud Xenophontem vel Platonem similia inveniantur. accedit autem aliud. inter omnes scriptores, qui de bono vel malo rege egerunt, necessitudo quaedam inest, quae necessaria est inter eiusdem argumenti scripta. iam supra vidimus nonnullis locis discerni non posse, utrum Dio Xenophontem an Platonem imitetur, neque dubito, quin haud paucis locis Dionea pro alienis vendiderimus. cf. etiam quae Barner initio dissertationis ad hanc rem attulit. sicut inter Xenophontem et Platonem, etiam inter Xenophontem et Isocratem multa similia invenimus (consentiunt exempli gratia cum Xenophonteis sententiis Isocratis I, 24, 26 bis, 27 sq. II, 5, 10, 22 [1]) multique alii loci). sic etiam inter Aristotelem (dico Politicon ultimum librum) et Isocratis Nicocleam [2]). non minus consentiunt interdum Aristoteles et Xenophon, maxime Polit. cum Hierone (cf. Aristot. 1311 a^{7}; a^{12}; a^{16}; 1313 b^{30}; 1314 a^{5}; a^{16}; b^{40}; 1315 a^{7}). alia exempla attulit Keil p. 373 [2], qui inde suspicatur Aristotelem e Xenophonte pendere. sed ex his omnibus constare videtur multa a duobus vel tribus scriptoribus dicta esse, ita ut alterum ex altero hausisse non dicas. sed iam satis de hac re dictum est, et quamquam plane certum iudicium de ratione, quae inter Dionem et Isocratem intercedat, non feram, tamen magna auctoritate hunc apud illum fuisse neque ex his credibile est neque puto accurata comparatione demonstratum iri.

e. **VARIA ET ADESPOTA.** Praeter Platonem et Demosthenem Dio etiam aliorum scriptorum dicta nominatim affert, Bionis, scil. Borysthenitae, or. LXVI, 26: *τῷ*

---

1) Quod Kaibel in Hermae vol XXV, p. 581 sqq. Xenophontem ab Isocrate pendere contendit (et persuasit mihi vir doctus), tamen hoc ad nostram quaestionem non facit, nam certe etiam inter Isocratem et Platonem talia invenies.

2) Quare Keil in libello supra commemorato Nicocleam ex Aristotele interpolatam esse censuit, quam sententiam nuper refutavit C. Münscher, sodalis meus, in dissertatione, cui inscribitur *quaestiones Isocrateae.*

Βίωνι δοκεῖ μὴ δυνατὸν εἶναι τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν, εἰ μὴ πλακοῦντα γενόμενον ἢ Θάσιον· εὐήθως, ἐμοὶ δοκεῖν. hoc dictum alibi non inveni neque aliud eiusdem generis. ceterum *πλακοῦς* et *οἶνος* Bioni usitata fuisse videntur, cf. Teletis verba (Hense p. 5 [2]): *ἢ πεινᾷ τις πλακοῦντα ἢ διψᾷ Χῖον;* de vino Thasio compara praeterea Antisthenem apud Xenophontem Symp. IV, 41 [1]).

Etiam Antisthenis dictum apud Dionem est or. XLVII, 25: *ἔφη δ' οὖν τις ὅτι καὶ τὸ κακῶς ἀκούειν καλῶς ποιοῦντα καὶ τοῦτο βασιλικόν ἐστιν.* idem afferunt Diogenes Laertius VI, 3 (is quidem plane isdem verbis), Marcus Antoninus VII, 36. Arrianus Epict. diss. IV, 6, 20, quo ex loco comprobatur fragmentum Cyri esse. apparet autem dictum illud celeberrimum fuisse, ita ut ex hoc uno loco concludi non possit Dionem Antisthenis Cyro usum esse.

Restant nonnulli loci, quibus auctorem non inveni. or. XXI, 3 Dio Critiae dictum affert: *ἢ οὐκ οἶσθα Κριτίαν τὸν τῶν τριάκοντα, ὅτι κάλλιστον ἔφη εἶδος ἐν τοῖς ἄρρεσι τὸ θῆλυ, ἐν δ' αὖ ταῖς θηλείαις τοὐναντίον;* XXXII, 98: *ὥσπερ ἔφη τις τοὺς ἐν τῇ Ἀττικῇ κανθάρους, τοῦ καθαρωτάτου μέλιτος ὄντος, τοῦ μὲν μηδέποτε γεύσασθαι, μηδ' ἂν ἐκχέηται, τῆς δὲ ἑτέρας τροφῆς.* cantharus vel scarabaeus secundum Aristotelem H. A. V, 19 ex asini stercore nascitur. videtur autem haec ignoti auctoris sententia proverbium esse, ut *ὗς ἐν βορβόρῳ.* Plutarchus compluries dicit *κάνθαρος μύρον φεύγει* cf. Mor. p. 710 E; 1058 A; 1096 A. alii loci sunt or. V, 4: *τόδε μὲν δὴ προοίμιον, ὡς ἔφη τις, τοῦ νόμου,* de quo iam dixi. or. XX, 3: *καὶ τὸ συνδιατρίβειν ἀεὶ τῷ ἐντυχόντι ἀδολεσχοῦντα καὶ ἀκούοντα λόγων οὐδὲν χρησίμων ἢ περὶ τὰ βασιλέως πράγματα διατρίβειν ἢ τὰ τοῦ δεῖνος, ὡς ἔφη τις.* XLII, 5: *ὥστε οὐκέτι ὀβολοῦ, καθάπερ εἶπέ τις, εὔπορον ἐκ τῆς ἀγορᾶς πρίασθαι τὴν ἐμὴν σοφίαν, ἀλλὰ κύψαντα ἀνελέσθαι χαμᾶθεν.* XLIX, 12: *ἔφη δέ τις τῶν ὀλίγῳ πρότερον*

---

1) Cf. Gercke de Aristone (*Archiv für geschichte der philosophie V*) p. 206, qui hanc Dionis diatriben ad Bionem redire non sine specie veri contendit.

φιλοσόφων οὐ φαῦλον, τὸ Ἰσμηνίου τοῦτο μάλιστα ἀγανακτεῖν, τὸ καλεῖσθαι αὐλητὰς τοὺς τυμβαύλας, οὐ παντελῶς ὅμοιον ὄν, ἐμοὶ δοκεῖ. L, 5: *καὶ τοῦτο δὴ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τῶν παλαιῶν τινος ῥητόρων, ὑπερβολήν τινα ἔχειν δοκοῦν κολακείας, ὅτι „τὸν δῆμον εἰκότως ἂν ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς περιφεροίμην“ ἐγὼ δικαίως ἂν εἴποιμι πρὸς ὑμᾶς.* sed difficile est ab his dictis apophthegmata et proverbia distinguere, cum haud raro dubium sit, utrum illud *ἔφη τις* certum auctorem significet necne. de proverbiis vide viri docti de Arnim indicem p. 378. adde XLVIII, 5: *ἀλλ᾽ εἰς ἐχθρῶν, φασι, κεφαλὰς τὰ τοιαῦτα τρέποιτο.* LXVI, 24: *καὶ τοῦτο δὴ τὸ τοῦ λόγου, λαγὼ βίον ζῶν.*

III. DE DIONE XENOPHONTIS SECTATORE.

Sed redeamus ad Xenophontem. ac primum quidem mirandum est Xenophontis nomen tam raro a Dione afferri. Dio enim bis Xenophontem nominat, in oratione octava [1]), ubi narrat eum a civibus propter Cyri amicitiam patria expulsum esse, et or. XVIII, loco iam laudato. nusquam autem eius dicta affert disertis verbis adiecto *ὡς ἔφη τις* vel simili. sed iam initio dissertationis vidimus eum Xenophontem permagni aestimasse, cum attulerimus nobilem illum locum orationis decimae octavae. ibi vides Xenophontem a Dione tantis laudibus efferri, quantas nostris temporibus vix quemquam de eo dicentem audias exceptis Batavis philologis. nam etsi ne nos quidem negabimus multa a Xenophonte scripta esse utilia ad vitam bene degendam, tamen haec omnia hominis prudentis

---

1) Praeterea etiam or. LXIV, 18. sed quod orationes LXIII et LXIV spurias esse Emperius (observv. ad Dionem Chrys. p. 59) dicit, plane mihi persuasit vir doctus. abhorrent enim a Dionis dicendi genere. compara eas cum iis orationibus, quae de gloria sunt, et videbis quam diversi generis sint. quae hic de fortuna dicuntur, tanta mole exemplorum obruuntur, quantam in nulla alia oratione invenies Dionis, quem exemplis gaudere iam satis cognovimus. hoc genus autem alienum est a Dionis *ἀφελείᾳ*; ad Favorinum non bene refert Hirzel. sunt hominis qualis Maximus Tyrius est. etiam or. LXXIV denuo legenti mihi suspecta videbatur.

magis quam acuti esse dicemus, honesti magis quam nobili ingenio praediti, versatilis magis quam varie eruditi. neque dicendi eius artem nos tanta admiratione dignam esse putamus, quanta veteres. quos longe aliter censuisse multis testimoniis comprobari potest, cf. e. g. Ciceronis Orat. XIX, § 62: Xenophontis voce Musas quasi locutas ferunt, et quae Hermogenes *περὶ ἰδεῶν* II, 12 de Xenophonte dicit. Dio autem et quae Xenophon dicit et quomodo, pari modo admiratur. nam quamquam in illa oratione Xenophontem *ἀνδρὶ πολιτικῷ* [1]) commendat, tamen apparet eum hunc scriptorem ad omnes vitae usus aptum censere; quantam apud ipsum vim habeat, Dio aperte indicat; *ἐμοὶ γοῦν κινεῖται ἡ διάνοια καὶ ἐνίοτε δακρύω μεταξὺ τοσούτων ἔργων τοῖς λόγοις ἐντυγχάνων.* quomodo igitur fit, ut Dio Xenophontem tam raro afferre videatur, cum ad Platonis verba persaepe aperte et celato nomine alludat? nisi forte dicis casu id factum esse. sed alludit Dio plus semel ad Xenophontis verba, non adiecto *ὥσπερ ἔφη τις*, sed satis dilucide iis, quibus Xenophontis scripta ob oculos versantur. compara, quae partim iam attulimus, imprimis locum illum, quo de Convivii rebus et personis Dio loquitur.

or. LXVI, 27: *ἀλλὰ καὶ μύρον δεῖ καὶ αὐλητρίδα γενέσθαι καὶ μειράκιον ὡραῖον καὶ Φίλιππον τὸν γελωτοποιόν.*

or. I, 9: *αὐτουργοὶ τῆς σοφίας*, cf. Symp. I, 5: *αὐτουργούς τινας τῆς φιλοσοφίας ὄντας.*

or. IV, 17: *ἅμα σπουδῇ ἐπαιξάτην*, cf. Cyrop. VI, 1, 6: *τοιαῦτα ἔπαιζον σπουδῇ πρὸς ἀλλήλους.*

or. II, 51: *ψελλίων τε καὶ στρεπτῶν, ἔτι δὲ χρυσῶν φαλάρων καὶ χαλινῶν*, saepius apud Xen., cf. An. I, 2, 27: *ἵππον χρυσοχάλινον καὶ στρεπτὸν χρυσοῦν καὶ ψέλλια.*

---

1) Breitung (*das leben des Dio Chrysostomus*) contendit hanc orationem, immo epistulam ad Traianum Caesarem datam esse, sed vix recte. nam Dionem Caesarem *ἄνδρα πολιτικόν* appellare credi non potest, cf. or. I et III. propterea accedo in sententiam a ceteris inde a Valesio probatam, magni nominis Romanum intellegendum esse. cf. quae dicit or. XLVII, 22: *συνηθείας οὔσης μοὶ πρὸς τὸν αὐτοκράτορα, ἴσως δὲ φιλίας, καὶ πρὸς ἄλλους πολλοὺς τοὺς δυνατωτάτους σχεδόν τι Ῥωμαίων.*

or VI, 6: *δι' ἐρήμων σταθμῶν πορευόμενον*, cf. Anab. I, 5, 5: *ἐντεῦθεν ἐξελαύνει σταθμοὺς ἐρήμους*.

or. XII, 18: *πυκνὰ μεταστρεφόμενος*, cf. Anab. VI, 1, 8.

or. XXI, 13: *τὸ κάλλος, ἂν μετὰ αἰδοῦς ᾖ*, cf. Symp. I, 8: *τὸ κάλλος ... ἣν μετ' αἰδοῦς ... κεκτῆταί τις αὐτό*. Haec omnia docent familiarissima Dioni Xenophontis verba fuisse, ita ut inscius ea repeteret, sicut etiam nos in sermone inscii saepe verbis scriptoris multum lecti et dilecti utimur.

Age igitur nunc breviter complectamur, quae Dio Xenophonti debeat, ut intellegamus, cuius maxime generis sint. ac primo obtutu iam apparet Dionem plurima eorum, quae de regno dicit, Xenophonti debere, paucis immixtis aliis sententiis aut a Platone vel aliis iam prolatis aut suis. huc pertinent orationes I. III. VI. LXII, quibus Dio, quae de bono et malo rege sentiat, demonstrat [1]). et iam supra ad primam orationem commemoravimus Xenophontis bonos reges quattuor esse, utrumque Cyrum, Agesilaum, regem Socraticum, malum Hieronem, quocum ex parte consentiunt, quae de Croeso et de Persarum rege (in Agesilao) dicit. comparari etiam in eo Dio cum Xenophonte potest, quod et in prima et in tertia oratione a boni regis erga deos pietate incipit, cuius rei exempla Xenophontea attuli. quid de ceteris Dionis de regno orationibus censendum sit, imprimis de altera, postea proferam. cetera varii generis sunt. atque ut taceam de rebus historicis similibusque, quas Dio e Xenophontis scriptis hausit, sententiae imprimis morales sunt. haud pauca eorum praeceptorum, quae Dio ad vitam bene degendam dat, Xenophontea sunt, ut de deorum veneratione (or. XXXI, 15) [2]), de sui ipsius cognitione (or. X; or. XXXIX, 42), de concordia (XXXIX), de amicitia (I, 30; III, 104 sqq.), de coniugio (III, 70; 122), de pulchritudine (XXI. XXVIII. XXIX). et hic vide quid Dioni acciderit. in oratione XXVIII dicit

---

1) De regno et regum virtutibus loqui Dioni valde placet, cf. praeter orationes modo laudatas or. LIII, 11; LVI, 16. etiam in hac re Xenophontis sectatorem se praebet, ut supra vidimus.

2) Compara etiam de cura deorum III, 77—81; XII, 32.

deos Melancomam propterea mori iussisse, ne progrediente aetate eius pulchritudo evanesceret, imitatus Ps. Xenophontis verba Apol. 6 vel Apomn. IV, 8, 8. de eodem homine autem in sequenti oratione queritur, quod mortuus est, nam pulchrum hominem etiam virum et senem pulchrum esse, secutus Xen. Symp. IV, 17. commemoranda praeterea exempla haud pauca sunt, quae Dio Xenophonti, ut videtur, debet, ut de nauta in fine or. XXXI, de aegrotis or. XIV, 6, de Circe (VIII, 21), Tantalo (VI, 55), Palamede (XIII, 21), neque praetermittenda est fabula illa Prodicea. nonnumquam Dio vituperat ea, quae Xenophon laudavit, et semel quidem ita, ut apertum sit eum Xenophontem spectare. est locus in fine orationis tertiae, ubi de venatione loquitur. et quamquam verba ea, quibus venationis laus et Persicae venationis vituperium coniunguntur, intelligi non possunt, tamen e verborum similitudine elucet in utraque re Dionem Xenophontis memorem fuisse. aliud exemplum eius rei est or. XIII, 24, ubi item mos Persarum vituperatur a Xenophonte laudatus. quare equidem non dubito, quin hic Xenophon Dionis auctor sit.

At non sententiis solum, sed etiam dicendi genere Dio Xenophontis sectatorem se praebet. qua de re iam sunt, qui egerint, W. Schmid in libro, qui est de Atticismo, Pylarinos [1]) (diss. phil. Erlang. 1887: *παραβολὴ Δίωνος τοῦ Χρυσοστόμου πρὸς Πλάτωνα Ξενοφῶντα Δημοσθένη καὶ Αἰσχίνην*); adde quae editores ad singulos Dionis et Xenophontis locos adnotaverint. Qua de re cum accurate non acturus sim, liceat praetereundo afferre, quae adhuc neglecta inveni. p. 143 Schmid ea vocabula enumerat, quae Dio Xenophonti debeat. his adde:

1) *ἀγρυπνεῖν.* inter Atticos scriptores primus Xenophon hoc verbo uti videtur, e. g. Apomn. II, 1, 3. Dio III, 59; XLIX, 10. *ἄγρυπνος* etiam apud Platonem est, *ἀγρυπνία* apud Herodotum.

---

1) Quae Pylarinos collegit, pauca sunt et plurima quidem de certarum phraseon usu; et ne haec quidem, quod quidem ad Xenophontem attinet, accurata sunt.

2) *φιλοστρατιώτης* (I, 28). bis apud Xenophontem, Anab. VII, 6, 4; 39.

3) *κύνας ἄγειν*, i. e. canes educare ad venationem Xenophon in Cyneg. III, 11 et Apomn. IV, 1, 3, ubi est *κύνας καλῶς ἀχθείσας*, quod idem Dio dicit or. XX, 15.

4) *κλάειν ποιεῖν* vel *καθίζειν τινά* Xenophon saepius, Cyrop. II, 2, 13. *ποιεῖν κλαίειν* Dio LXVI, 16.

5) *γοργὸν ἐμβλέπειν*, quod est apud Dionem II, 29, fortasse recepit e Xenophontis *γοργότερον ὁρᾶν* (codd. *ὁρᾶσθαι*) Symp. I, 10 [1]).

6) *ἐν τοῖς εὐδιεινοτάτοις* Dio VI, 1. *ἐν εὐδιεινοῖς* Xenophon Cyneg. V, 9, praeterea semel Aristoteles.

Summa ergo fuit Xenophontis apud Dionem auctoritas et in sententiis et in dicendi genere, ita ut ipsius Dionis scripta optime congruant cum largis illis laudibus, quas Xenophonti in oratione octava decima tribuit. praeter Xenophontem ante ceteros Platonis auctoritas praevalere videtur, sed Dionem haud exiguo scriptorum numero usum esse elucet iam e paucis illis, quae supra attuli, et e scriptorum nominibus, quae hic illic profert [2]). itaque saepe dubium est, quemnam scriptorem Dio sequatur an omnino ipse de nullo cogitaverit. nobilis eius rei locus est or. II, 56. quod hic Dio profert bonum regem immodicum risum non admittere, item invenitur Xen. Cyrop. VIII, 1, 33, Platon. Reipubl. 388 E, Isocrat. ad Demonicum 14, praeterea in Philodemi libro *περὶ τοῦ καθ' Ὅμηρον ἀγαθοῦ βασιλέως* (voll. Herculan. VIII) col. III, 14:

1) *Γοργότερόν τε ὁρᾶσθαι* codd. et Aristides. edd. inde a Stephano *γοργότεροί τε ὁρᾶσθαι*. sed haec verba respondere debent sequentibus *τά τε ὄμματα φιλοφρονεστέρους ἔχουσι*, sicut cetera bina membra apte sibi respondent. neque si *γοργός* sit torvum vultum habens (quod Xenophontis non est), bene cohaerent omnia. *ὁρᾶσθαι* autem pro *ὁρᾶν* poeticum est. itaque cum Plato quoque *ὁρᾶν* cum *βλέπειν* confundat (*ἐπεὶ πολλά τοι ὀξύτερον βλεπόντων ἀμβλύτερον ὁρῶντες πρότεροι εἶδον* Reipubl. X, 596 A), scribendum censeo *γοργότερόν τε ὁρᾶν*.

2) Cf. etiam quae Polemo de Dione dixisse dicitur Philostrat. (ed. Kayser) II, p. 50, 6.

ἐπεὶ καὶ τὸ φιλογέλοιον ὅλως εἶναι τὸν βασιλέα οὐκ ἔοικεν. qua de re iudicium ferri nequit, et sic saepius, nisi e verborum similitudine discerni potest.

IV. DE DIONIS SCRIBENDI ARTE.

Ex omnibus, quae adhuc dixi, hoc pro certo habendum esse sequitur Dionem veterum scriptorum excerptorem non esse. permulta quidem sunt, quae aliis debet, sed Dio scriptor minime contemnendus est, qui ea, quae ex aliorum scriptis recepit, sua suo ingenio fecit. perraro fontes ad verbum sequitur, immo nunc brevem sententiam alicunde haustam suis vel aliorum scriptorum argumentis vel exemplis amplificat, nunc eam mutat, nunc contradicit, nunc diversa coniungit. non excribit libros, sed memoria tenet, non quaerit, unde narratiunculam vel exemplum vel disputationis argumentum sumat, sed ultro ei occurrunt, quae legit. quodsi quis dicit Dionis scripta diligentius perquirenda esse, ut ex iis vestigia scriptorum perditorum enucleare conemur, assentior, modo satis caute progrediamur. diversissima in Dione coniuncta iacent, ita ut temere ageremus, si orationis indole et habitu adducti omnia, quae in ea oratione dicta sunt, ad unum certum auctorem referremus. imprimis autem cavendum est, ne conemur integra scripta perdita e vestigiis apud Dionem servatis restituere. fac enim, ut exemplo utar, perierit Xenophontis Hiero, sed ita, ut certe affirmare possimus eo libro Dionem ad sextam orationem usum esse: nihil de libri indole dicere possemus, nihil de scripti genere, nihil de ordine [1]). et idem, quod intelleximus in scriptores traditos cadere, memoria tenendum est in restituendis deperditis. itaque non antea ab aliquo servato scripto recedamus, quin Dionis fontem esse dicamus, quam probis causis coacti erimus, ne incerta pro certis accipiamus.

---

1) Or. XXVI autem plane alius imitandi generis exemplum est, sed de hac oratione num perfecta iam sit, dubitari potest, cf. infra.

Nunc autem nonnullas Dionis orationes accuratius consideremus, ut iis exemplis usi Dionis scribendi artem et indolem cognoscamus. qua in re persaepe mihi res erit cum iis, qui cynicae philosophiae vestigia in Dionis orationibus persecuti sunt. quin Dio multis in rebus cynicae philosophiae reliquias servarit, nemini dubium esse potest, qui orationes eius de Diogene scriptas legit. primus cynica scripta e Dione restituere conatus est F. Dümmler in Antisthenicis (postea plura de hac re scripsit in Academicis), quem secutus E. Weber accuratius de Dione Cynicorum sectatore egit. atque multa quidem recte viri illi dixerunt, in aliis errare videntur. E. Weber ipse nonnumquam in id vitium incidit, quod cavendum esse dixit (p. 82), ut aliena pro cynica sapientia vendiderit. item F. Dümmler longius vero processit, cum diceret Antisth. p. 73: „Dio cum omnino germanum Cynicum se praestet, ...". falsum est Dionem totum uni philosophorum doctrinae adscribere sive cynicae sive stoicae, quamquam utriusque sententiis usus est. Dio sophista, deinde philosophus non solum cynica veste indutus multorum hominum terras et urbes, sed etiam multorum virorum scripta permigravit, hinc illinc sumpsit, quae sibi ad suos ceterorumque hominum mores corrigendos apta videbantur *(cf. Hirzel, der dialog II, p. 84sqq.).* hanc de Dionis philosophia sententiam probabiliorem fore spero iis, quae nunc de nonnullarum orationum indole proferam.

OR. I. Initium orationis, ut iam vidimus, narratiuncula illa de Alexandro et Timotheo tibicine scripta facit. huius rei certum fontem indicare non possum, Dio notam rem suo modo exornasse videtur. de Timotheo vide quae Volkmann in commentario ad Plutarchi de musica librum scripsit p. 71, 43sqq. his adde Athenaei XII, p. 538 F, XIII, 565 A, praeterea Dion. or. XXXII, 61. tum de bono rege loquitur. haec omnia fere ad certos auctores rettulimus, praecipue ad Xenophontem, nonnulla ad Platonem. (revera igitur Dio propositum non sequitur, nam quae ex Homero sumpsit, perpauca sunt.) atque quae restant, Dio ipse amplificare potuit. sequitur (§ 37—47) exemplum Iovis, optimi regis. Iovem optimum regem esse iam Homeri est, idem Plato dicit, cui etiam Minois regis exemplum

debetur. tum Iovis virtutes nominibus singulis illustrantur; et haec quidem redeunt ad Stoicorum doctrinam, quibus maxime Iuppiter boni regis exemplum est. nam compara hanc Iovis nominum interpretationem cum Pseudo-Aristotelis *περὶ κόσμου* c. VIII, 401 B, qui liber maxime ad stoicam philosophiam pertinet, cf. Zeller [3] II, 1, p. 631 sqq. [1]). quanto amore Dio hanc interpretationem amplexus sit, ex eo elucet, quod eam ter, fortasse quater attulit. utrum Dio librum ipsum lectitaverit an similem fontem, certa ratione diiudicari non potest, sed videtur non eodem libro usus esse, quoniam nomina *Φύξιος* et *Κτήσιος* in libro, qui est de mundo, non sunt. extremae huius partis sententiae rursus Platonem et Xenophontem sapiunt. quae sequitur fabulam de anu Eliaca Dio ipse finxisse censendus est, ut transiret ad Herculem boni regis exemplum. Dionis Hercules cynicus est, qua de re Ernestus Weber sat multa exposuit. de allegoria Prodicea praeter alios nuper W. Capelle egit (*de Cynicorum epistulis*, diss. phil. Gott. 1896) p. 31—39, qui comparatis iis scriptoribus, qui eam imitati sunt, Dionem praeter Xenophontem (nam illum ipsum Dionem adiisse per se verisimile est) alium auctorem sequi ostendit, apud quem Dio duas illas feminas ab aliis personis allegoricis circumdatas invenerit.

OR. II. Etiam haec oratio incipit ab Alexandro atque tota in eodem versatur. Dionis Alexandrum Xenophontis Cyro maiori similem esse iam ostendimus. haud iniuria Pylarinos l. l. monet Alexandrum cum patre colloquentem similem esse Cyro cum matris patre disserenti; quam ad comparationem bene quadrat illud *ἅμα σπουδῇ παίζειν* (Dio § 17), Xenophontis Cyro familiare. Alexander Philippo ostendit Homerum solum regi optima regnandi praecepta dare.

---

1) De nostro loco p. 640: „*und in folge dieser seiner allwaltenden wirkung führt Gott die mancherlei namen, deren aufzählung und erklärung in der schrift ΠΚ das gepräge des ächtesten stoicismus trägt. der name, die praedicate und die herkunft des Zeus werden hier ganz im stoischen sinne erklärt*“. Posidonii haec esse plerique viri docti pro certo habent, alii de Nicolao Damasceno cogitarunt. cf. etiam Diog. La. VII, 147. de Dionis stoicorum scriptorum studio audi ipsum or. XLVII, 1.

Quod Ernestus Weber l. l. p. 231 contendit hunc dialogum exemplum homiliae cynicae esse, prorsus dissentio. nam etsi concedamus Dionem talia non in maiorem Homeri gloriam, sed ad hominum mores corrigendos scripsisse, homiliam ea quidem de causa tale scriptum nemo nominabit. neque cynica haec Homerum explicandi ratio dici potest, quia ab Antisthene primo inventa sit. E. Weber ipse locum illum confert, quo Dio Antisthenem eam invenisse, Zenonem autem elaborasse dicit. sed de Dionis fonte postea loquar, nunc breviter videamus, quid de ceteris Dionis homiliis censendum sit. ut secunda, sic etiam tertia oratio mihi quidem longe videtur abesse ab homiliae genere. Dio enim eam orationem ad unum certum hominem, Caesarem scilicet scripsit. illud dictum autem Socratis, quod Dio initio profert, minime est orationis argumentum (nos diceremus „*predigttext*“), sed nihil est, nisi exordium eiusdem generis, cuius narratiuncula illa, qua Dio orationem primam incipit. ab his praefationibus longe distat Teletis *περὶ αὐταρκείας* disputatio vel homilia, qua re vera Bionis dictum explicatur et confirmatur. de prima oratione iam Martha *(les moralistes sous l'empire Romain)* verba fecit p. 245 [1]: „*Ainsi Dion prêche sur un texte qu'il emprunte au livre par excellence, à Homère. avant d'entrer dans son sujet, à la fin de l'exorde, il invoque la Persuasion, les Muses et Apollon, comme les orateurs chrétiens implorent le secours d'en haut.*“ num recte Dionis orationem tam accurate cum homiliis christianis comparaverit, dubito nam antequam etiam aliae orationes eius temporis afferantur, quarum initio di invocantur, equidem crediderim Dionem hic non morem pervolgatum et a Christianis quoque receptum, sed Homeri exemplum imitari, quem sequitur. praeterea etiam haec oratio ad Caesarem solum data est, nam quod E. Weber p. 230 sq. dicit Dionem etiam omnes legionum duces et imperatores alloqui, Dionis § 44 haud recte interpretatus est, quo loco exempli modo causa duces commemorantur. E. Weber quattuor homiliae genera Dioni tribuit inter se plane diversa, quibus nihil aliud commune inest, nisi quod Dio praecepta moralia dat. sed redeamus ad orationem secundam.

Tota oratio exemplum eius scriptorum generis est, quod iam a sophistis, deinde maxime ab Antisthene, tum a Stoicis praecipue excolebatur. sed neque apud Platonem neque apud Xenophontem eius sapientiae vestigia desunt. et stoicum fontem huius orationis R. Weber (*de Dioscuridis περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ νόμων libello, Leipziger studien vol. XI, p. 87—196*) sagaciter invenit, Dioscuridis librum (cf. p. 157—168). ad illum certa ratione rettulit Dionis § 30 sq., 37 sq., 41, 44--48, 50, 52 sq., 60 sq. sed ipse legas, quod dicit. hic tenemus, ut veri simillimum est, ipsum Dionis fontem. praeterea cum hac oratione comparavi Philodemi Gadarensis librum *περὶ τοῦ καθ' Ὅμηρον ἀγαθοῦ βασιλέως* (voll. Hercul. VIII, col. 24, fragm. 11) [1]. dolendum est, quod tam pauca frustula neque ea continua huius libri servata sunt, nam ex iis certum iudicium ferri non potest, utrum artius cohaereat cum Dione necne. tamen ea, quae similia inveni, breviter afferam. fortasse aliquando accuratius in hunc librum inquirere licebit. scripti titulum iam Buecheler comparavit cum Dionis I, 15. idem addit Philodemum et Dionem compluribus locis consentire, de Philodemi libri sententiarum conexu autem nihil dici potest. col. II dicitur de saltationibus et verbis impudicis: *ἐν ὀρχήσεσιν μῦθοι τῆς ἀκολασίας ... αἰσχρολογίας*, cf. Dio II, 56: *ἐν ὀρχήσεσιν ἀκολάστοις*, 55: *λόγων διεφθορότων*. de immodico risu iam dictum est. Philodemi col. IV, 4: *μελετῶσί τι τῶν πρὸς ἄθλησιν ἢ τὴν ἐνόπλιον ἀγωνίαν* cf. cum Dionis II, 60: *μελέτην τῶν πολεμικῶν· ὄρχησίν γε μὴν τὴν ἐνόπλιον.* quae Philodemus de Argivis VII, 24 et de Trojanis, idem dicunt eodem exemplo usi Dio et Dioscurides. de Phaeacum divitiis Philodemus XII; Dio II, 40. Agamemno decem Nestores praefert decem Achillibus: sic Dio II, 21; Philodemus XIV. de regis ornatu Philodemus XX; Dio II, 49. de Nestoris, Ulixis, Diomedis prudentia Philodemus X; XIV, Dio II, 20—22. atque hae Philodemi sententiae cum altera Dionis oratione consentiunt; sed

1) Praeter Salvium Cyrillum, qui haec fragmenta in editione tractavit, unus Buecheler de iis egit in Mus. Rhen. vol. XLII, p. 198 sqq.

etiam ceteris hic illic eiusmodi loci insunt. uterque exemplo Syrorum regis utitur, Philodemus III, 13, Dio IV, 113. eundem de Thersite versum afferunt Philodemus III, 27, Dio XXXII, 99. de Nestore gloriante Philodemus XXI, Dio or. LVII. itaque etiamsi de necessitudine, quae inter Dionem et Philodemum est, certi nihil dici potest, tamen tali comparatione evincitur haec studia Homerica omnibus temporibus a scriptoribus simili ratione tractata esse. neque Dio uno fonte usus est. ipse enim or. LIII se permulta eius generis scripta nosse ostendit. qua de causa equidem Roberto Weber non concedo Dionem § 47 e Dioscuride hausisse, non e Platone ipso. nam de Platonis studiis Homericis Dio plura in or. LIII dicit. praeterea si verba *πάνυ ὀρθῶς αὐτὸ τοῦτο ἀπεμνημόνευσεν ὁ Πλάτων* iam apud Dioscuridem fuisse dicis, Dio Dioscuridis librum excripsisse censendus est, id quod equidem plane nego. immo statuendum est Dionem hanc orationem ipsum composuisse, exempla Homerica apud varios auctores lecta e memoria attulisse. ad Antisthenem autem certa ratione nihil referri potest.

Inde a § 66 Dio regem bonum cum tauro comparat secutus Homerum. quem fontem hic Dio secutus sit, nescio, Hagen et R. Weber stoicum hoc exemplum esse ostenderunt, E. Weber iam Antisthenem eo usum esse demonstravit. ceterum iam supra dixi regem illum in multis rebus cum Xenophontis regibus consentire.

OR. III. De orationis partibus cum in excursu verba facturus sim, hic singularum partium argumenta accedam, quibusnam ex fontibus fluxerint. primam partem usque ad § 41 E. Weber cynicae philosophiae adscribit. qua ex parte resecemus statim § 3--11, quae huic loco aptae non sunt. haec sunt maxime Xenophontea, immixtis paucis Platonicis sententiis. item resecandae sunt § 12—24, quae sunt de adulatione. quas dubito num Dio ipse excogitaverit, laudatur autem non cynica illa libertas, quae de nulla re tacet, sed vera et genuina iam a veteribus praedicata, quam etiam Xenophon in Hierone I, 15 laudat. quibus remotis restant duo Socratis dialogi, alter de regis Persarum felicitate § 1—3,

29—41, alter cum Hippia habitus, quo Socrates ostendit, cur semper de iisdem rebus eadem loquatur. haec quin e Xenophonte ipso (Apomn. IV. 4) hausta sint, nemo dubitabit; illam partem ante E. Weber ni fallor omnes, ut consentaneum est, ad Platonis Gorgiam p. 470 redire censuerunt. hunc nobilem Gorgiae locum Stobaeus exscripsit (IV, 17 Meineke), Cicero vertit Tuscul. V, 12, 34, praeter Dionem etiam Themistius eo usus est in or. *περὶ ἀρετῆς* 34 (Mus. Rhen. vol. XXVII, p. 451). quem locum E. Weber ad probandam suam sententiam adhibuit hanc Dionis partem cynicam esse. Themistium enim in oratione citata multa vere cynica proferre iam Buecheler dixit in Mus. Rhen. rectene igitur E. Weber ex hac re concludit etiam Dionem cynicis fontibus uti, quoniam idem Socratis dictum apud utrumque est? ac primum quidem Themistius, quamquam in universum accuratius fontes sequi videtur, quam Dio, tamen homo non indoctus est, ita ut non liceat ex uno vel duobus locis etiam de tota disputatione idem iudicium ferre. accedit aliud, quod Ernestum Weber ne uno quidem verbo tetigisse miror. ipse enim p. 248 [4] dicit Themistium saepius Dionis orationibus usum esse, imprimis iis, quae de regno sunt, quas ad or. I, II, XV scribendas adhibuit [1]). itaque cum quanta necessitudo intersit inter Themistii et Dionis locos E. Weber satis accurate ostenderit p. 233, equidem non dubito, quin Themistius Dione, Dio Platone ipso usus sit [2]).

---

1) Etiam in *περὶ ἀρετῆς* oratione Themistius plus uno loco cum Dione consentit.

2) Omnino Dionem in Socratis vita, moribus, philosophia adumbranda cynicis fontibus usum esse equidem non credo. plurima eorum, quae de Socrate narrat, Xenophonti et Platoni, fortasse etiam Aeschini debere videtur. sed non omnia, quae narrat, ad veteres Socraticos redire videntur. Socrates iuvenis patris artem didicit (Dio or. LV, 2), idem narrat Diog. La. II, 19; tum Archelai sophistae scholas adiit (LV, 3), cf. Diog. La. eodem loco; ab Archelao rege invitatur (XIII, 30), idem Diog. La. II, 25. hymnum in Apollinem et Dianam fecit (XLIII, 10), cf. Diog. II, 42. quibus e locis concludendum esse puto Dionem ad Socratis vitam cognoscendam *βίον* quendam *Σωκράτους* adhibuisse similem ei, quo etiam Diogenes Laertius usus est.

In sequentibus Dio de tribus bonis et tribus malis civitatum imperiis loquitur. sunt: *βασιλεία, ἀριστοκρατία, δημοκρατία, τυραννίς, ὀλιγαρχία, ὀχλοκρατία.* cuius rei vestigia iam apud veteres inveniuntur, apud Xenophontem Apomn. IV, 6, 12, similiter apud Herodotum et Isocratem. qua de re egit Maass in Hermae vol. XXII, p. 591. hoc loco autem Dio respicere videtur Aristot. Polit. III, 1279 a [33]—b [6], ubi eadem imperii genera iisdem fere nominibus afferuntur. sequebatur apud Dionem olim stoica illa de Iovis nominibus doctrina. § 51—57 rursus maxime Xenophontem sapiunt, item 58—61, 62—81 argumentum Platonicum videtur esse ornatum exemplis ex parte quidem Xenophonteis. quae secuntur partes usque ad finem maxime Xenophontem imitantur, ita ut de iis non iam opus sit loqui.

OR. VI. Huic orationi, cui titulus est *Διογένης ἢ περὶ τυραννίδος* aptius inscribi potest: comparantur inter se Diogenes et Persarum rex, uter beatior sit. iam supra p. 17 vidimus huius orationis complures partes discerni posse, § 1 — 7 (Diogenes iocatur se melius habitare quam regem), 8—20 (de Diogenis vita iucunda), 11—34 (bestiarum vita laudatur), 35—59 (regis vita miserrima est), 60—62 (Diogenes beatus est). egit de or. VI Ernestus Weber l. l. p. 85 sqq. sed quoniam unam Diogenis integram diatriben Dioni subesse contendit, ex re videtur mihi et ipsi eam perlustrare, praesertim cum Weber ipse nos moneat, ne temere ea pro certo habeamus, quae proferat, p. 97: „quid igitur est? videtur Dio duas diversas disputationes contaminasse“.

Ad primam orationis partem Weber duos Plutarchi locos attulit, quibus rem illam notissimam fuisse ostendit. quae quin ad Diogenem ipsum redeat, nemini dubium esse potest, quamquam Dio ipse ex more suo suis verbis rem exornasse censendus est.

§ 7 totius orationis argumentum continet, cum Diogenes se rege beatiorem esse dicat. nimirum etiam hoc Diogenis ipsius est, ad locos a Webero p. 87 allatos accedit Ciceron. Tuscul. V, 32, 92, quo loco Capelle p. 47 iam Ciceronis fonti eiusmodi Diogenis diatribas notas fuisse ostendit. neque si

Ciceronis locus deesset, dubitaremus eam rem ad Diogenem ipsum referre, nam neque cum Persarum rege quisquam hoc modo vere se comparare poterat nisi ante Alexandri expeditionem, et iam apud Socratem et Socraticos (cf. Plat. Gorg. 470) tenemus primordia talis comparationis, quam inde ab Antisthene a Cynicis maxime excultam et tritam esse consentaneum est.

§ 8 cum antecedentibus cohaerere negat Weber p. 97. etiam ego olim haesitabam, sed nunc recte omnia procedere puto. § 7 dicit: *τῶν μὲν γὰρ οὐδὲν ὄφελος εἶναι, τὰ δὲ καὶ σφόδρα πένησιν ἐξεῖναι ποιεῖν.* sequenti parte autem Dio demonstrat Diogenem ea e vita sua sustulisse, quae utilitati non essent, usum autem esse sine sumptu omnibus rebus vere iucundis. quam ad partem scribendam ne putemus Dionem continua Diogenis diatriba usum esse, impedit, quod Dio modo narrat, quae Diogenes fecerit, modo dicta eius affert. inspice maxime § 13—15. hoc loco Dio complura apophthegmata Dionis enumerat, § 13 de vino (*κατεγέλα ... τρέφειν*), § 14 de domicilio (*οἰκίας δὲ ... ἔχειν ... γυμνάσια*), § 15 de pedibus (*οὐ γὰρ ἔφη ... πόδας*), de hominum divitum stulta luxuria (*ἔφη δὲ ... σπαργάνων*). cetera autem eius partis continent ea, quae Diogenes fecit, § 8—12 (exceptis fortasse his § 12 verbis: *καὶ ἐνόμιζε τοῦτο ἱκανώτατον καὶ δριμύτατον τῶν ὄψων*), § 14: *ἱμάτιον δὲ ἓν ἐξήρκει κτλ.* § 15: *τοὺς δὲ πόδας οὐδέποτε ἔσκεπεν.* vides igitur Dionem Diogenis facta et dicta promiscue contulisse, ut sapientis vitam illustraret. Dionem ipsum hanc partem elaborasse etiam eo probabilius fit, quod supra ostendimus eum multis locis aperte cum Xenophonte consentire. nam cum Diogenes ipse Socratem imitari vel potius superare voluisset, ita ut Plato eum Socratem insanientem nominasse dicatur, Dio certe intellexit multas similitudines his duobus sapientibus inesse, quos pari fere studio sectabatur (cf. e. gr. or. LXXII, § 11 et 16). itaque facile fieri potuit, ut cum alterius vitam describeret, alterius, qualem e Xenophonte bene noverat, passim reminisceretur.

De sequentibus, § 16—20, difficilior est quaestio, quam ut iudicium de ea proferre audeam. Ernesto Weber quidem

p. 112—117 non contigit, ut haec omnia vere Diogenea esse comprobaret, quamquam verisimile est Diogenem talia fecisse et dixisse. Zeller autem aliter censuit, qui has sententias Chrysippo Stoico adscripsit (II [2], 2, p. 299, n. 3). sed ne haec quidem ex uno continuo fonte Dionem hausisse equidem putaverim. § 16 Dio narrat de Diogene, item § 17 initio. tum inde a verbis *ἀλλὰ παίζων ἔλεγε* usque ad *καλοῦντας* Diogenis dictum refert, quod statim Diogenem ipsum facto comprobantem facit. sequitur de bello Troiano dictum (17 et 18), de piscibus (18), de hominum stultitia, qui pro hac re magnam pecuniam solvant (19), denique narratur fabula obscoena de Pane (20). quae quamquam omnia de eadem re sunt, tamen diversiora, quam ut sic e fonte fluxisse putem. praeterea *ἔλεγε* illud compluries repetitum apophthegmata collata indicat. uno autem loco fortasse Dionis auctor adhuc cognosci potest, cum Dio § 18 idem similibus verbis de piscibus exemplum affert, quod Xenophon Apomn. I, 2, 30 de suibus. de ceteris nihil dicere possum, cum incertum sit, num Dio Panis fabulam e pseudotragoedia cynica sumpserit (cf. Weber l. l.).

§ 21 – 34 Diogenes vitam bestiarum hominibus imitandam proponit. neque hanc partem Weber (p. 106 sqq.) ad Diogenem redire satis certa ratione demonstravit, et sane mirabile est nullum e magno illo numero exemplorum, quae Dio praebet, apud alium cynicum scriptorem inveniri. nam quae Weber p. 111 affert, ad Dionem vix quadrant neque ad Cynicos (apium civitate multi exemplo usi sunt, sic etiam Xenophon plus uno loco). equidem quamquam libenter concedo hanc partem a Cynicorum more alienam non esse, longius non progrediar, quoniam de uno fonte ne hic quidem cogitem. eiusdem enim generis haec pars est, cuius quae antecedunt. § 21—25 bene cohaerent. tum videtur § 26 dialogus esse (*ἔλεγε* ... *ἀντέλεγε*), § 27 *ἐπεδείκνυε*, idem § 28. § 30 sq. narratur, quid Diogenes fecerit. § 32 est *ἔφη*, § 34 *ἐθαύμαζεν*. nonne haec eodem modo a Dione composita et elaborata videntur, quo § 8—15? iam E. Weber p. 97 nonnullas sententias in utraque parte expressas esse dixit. cf. enim § 13: bestiae graminibus, foliis, aqua delectantur. idem est § 22. § 11 sq.:

homines umbram, calorem, frigus fugiunt; idem § 27. § 15: oculi et facies hominum tutela non indigent; idem § 28. Dio cum ad Diogenis vitam describendam duas partes fecisset, alteram, qua Diogenem optime vivere, alteram, qua bestias eum imitari ostenderet, facere non potuit, quin de iisdem rebus bis loqueretur. quod sane iam Dionis auctori accidere potuit, cui Weber id crimini dat; sed non est, cur Dionem sine causa unius fontis partes immutasse cum E. Weber censeamus, quoniam supra vidimus Dionem in mali regis imagine exprimenda Xenophontis Hieronem passim sequi.

Quam partem (§ 35—59) plane alius generis ac ceteras esse ex eo elucet, quod in hac nullum est ἔφη vel ἔλεγεν vel alia contaminationis vestigia, nisi forte § 40 affers, quà ab oratione, ut nos dicimus, obliqua ad rectam Dio transit. ne Dionem Xenophontis Hieronem excripsisse putes, impedit plane mutatus sententiarum ordo; immo e memoria Dio eas attulit. tamen fortasse in eo licet agnoscas fontis vestigium, quod Dio modo de uno rege Persarum [1]), modo de tyrannis loquitur. simile est apud Xenophontem. Dionem unum aliumve locum aliunde hausisse per se verisimile est et comprobatur e. gr. § 55, qua Oecon. XXI, 12 sequitur [2]). quare reicienda est Ferdinandi Duemmler coniectura, qui in Philologi vol. LIV, p. 584 contendit Dionem e Diogene, Diogenem ex Antisthenis Archelao hausisse, eodem fonte autem Xenophontem in Agesilao usum esse, adductus scilicet et Weberi coniectura et eo, quod Xenophon in Agesilao et in Hierone plus uno loco similia dicit.

OR. X. Etiam haec oratio docet eodem modo, quo sexta, Dionem non uno fonte cynico usum esse. nam ut non dicam de

---

1) Sub eius nomine Domitianum intellegendum esse censet de Arnim in indice s. v. Domitianus.

2) H. Hobein (*de Maximo Tyrio* diss. phil. Gott. 1895) p. 93 et Capelle l. l. p. 48 et addit. p. 63 ostenderunt Maximum Tyrium in diss. XXXVI hanc ipsam Dionis orationem imitari, non eius fontem. recte, nam Maximus etiam ea parte orationis usus est, quam Dio ipse e Xenophonte hausit. quod cum appareat, longum est singulis locis demonstrare.

ceteris, de servo fugitivo [1]), de deorum sermone [2]), de Oedipode [3]), aliis, quae non est quin Dionem ipsum composuisse putemus, ea, quae ad Xenophontem redeunt, certe Dio immiscuit. iam E. Weber suspicatus est Dionem in § 17—22 elaborandis Xenophontem secutum esse,. Apomn. IV, 2, 24—30. equidem de hac re non dubito. primum inspice similem interrogandi formam apud Dionem § 22 et Xenophontem § 24. etiam alia similia sunt: utrique et Socrati et Diogeni aliquid cognovisse idem est ac posse eo uti: Dio § 17: *χρῆσθαι ... αὐτὸν αὐτῷ μὴ ἐπιστάμενον*, Xen. § 25: *οὕτως ὁ ἑαυτὸν ἐπισκεψάμενος ὁποῖός ἐστι πρὸς τὴν ἀνθρωπίνην χρείαν ἔγνωκε τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν.* qui alicuius rei ignarus ea uti conatur, damno afficitur. sic Dio § 17 sqq., Xen. § 26. accedit, quod uterque scriptor ad dictum illud illustrandum primo equum affert, Dio § 17, Xenophon § 25. cetera exempla e Xenophonte hausta esse supra demonstravi. quod verbum *χρῆσθαι* apud Dionem duplici sensu usurpatur, apud Xenophontem quidem non est, sed hoc Dioni sophistae ipsi tribuas.

OR. XIII. Supra Dionem ad hanc orationem [4]) Pseudo-Platonis Clitophontem adhibuisse dixi, sed quamquam demonstrari potest ad verbum haud paucis haec duo scripta consentire, tamen vereor, ne quis mihi obiciat: at ea, quae tu ad Clitophontem redire censes, Antisthenis esse Duemmler in Academicis p. 1—17 ostendit. qua re nunc accuratius hanc quaestionem tractemus, totam orationem perlustremus, videamus, num Duemmler recte iudicaverit necne.

Prima orationis parte Dio narrata sui exilii causa de exilio ipso disputat, an malum sit (§ 1—8). hanc partem cynicam esse non verisimile est, quoniam Dio § 8 exilium *οὐ πάντως* solum *βλαβερὸν καὶ ἀσύμφορον* esse dicit. quae si comparas

1) Cf. Weber p. 142.

2) Ex Platonis Cratylo, cf. quae supra dixi. Hagen p. 44 Dionem hic non e Platone ipso, sed ex Apione hausisse contendit (cf. p. 62 sq.). sed certum iudicium de ea re ferri nequit, cum Dio Platonis de Homero sententias optime noverit.

3) Cf. Weber p. 143 sqq.

4) Orationem fine carere Reiske vidit.

cum Teletis et Plutarchi de exilio scriptis, videbis plane diversa esse. omnino cum his scriptis Dionis oratio nihil commune habet. quae Dio affert exempla ex Homero, Euripide, Herodoto, possunt sua esse. uno autem loco de fonte fortasse cynico cogites, § 7, ubi Dio oraculum Croeso datum interpretatur (exuli non respiciendam esse *δόξαν παρὰ τῶν ἄλλων* cf. Plutarchi *περὶ φυγῆς* c. XV, p. 605 D). sed satis de hac parte. tum Dio ab oraculo ad philosophiam vocatum [1]) vili vestimento indutum per urbes et terras homines ad virtutem se adhortatum esse narrat (§ 9—13).

Tum sequitur nobilis ille locus § 14—28. atque priusquam orationem ipsam adeam et quae de eius fontibus mihi dicenda sunt, proferam, ex re videtur accurate agere cum Ferdinando Duemmler [2]), qui de Clitophonte neque in Antisthenicis neque in Academicis cogitavit, quoniam eius de hac parte sententia etiamnunc Clitophonte iam pridem allato apud plerosque valere videtur. egit Duemmler de hac oratione primum in Antisthenicis p. 8 sqq. quo loco quod p. 9 dicit orationem XIII non ut alias Dionis orationes e variis auctoribus contaminatam esse posse, dicit quidem, sed non demonstravit. (iniuria or. III attulit, quam perfectam nondum fuisse ostendam.) qua in re videbis Duemmlerum ipsum plane sibi contradicere. quod deinde attinet ad cynicae philosophiae vestigia, quae Duemmler invenisse sibi visus est, item certa ratione ea non aperuit. nam quod Dio Cynicorum more loquitur, Duemmlerum minime offendere potest, cui Dio germanus Cynicus est (p. 73). restat temporis argumentum, quod vir doctus ex pugna apud Cnidum facta deprompsit. sed neque hoc quidquam comprobatur, Dio apud Athenienses ea elegit, quae praeclarissime a se facta censebant. Archelai autem regis notissimaeque illius narratiunculae comme-

1) Qua in re Dio sine dubio Socratem imitatur, cuius aemulum eum fuisse nuper Hirzel diserte demonstravit *(der dialog II, 89, 2)* cf. e. gr. apologiam or. XLIV.

2) Quem virum doctissimum praematura morte nuper vitae et philologiae ereptum esse sero accepi paucis diebus ante editam hanc dissertationem.

morationem (§ 30) ullius momenti esse ad Dionis auctorem cognoscendum nemo concedet, quin antea orationem Antisthenis esse sibi persuaserit. non facilis denique est ab Atheniensium republica male administrata ad recte regnandi artem transitus (Antisthenica p. 10). sed satis de hoc libello. postea, cum Susemihl *(Fleckeisens jahrbb. 1887, vol. 135, p. 207 sqq.)*, probata ceterum Duemmleri coniectura Archelaum dialogum Antisthenis non esse dixisset, Duemmler in Academicis p. 1—17 iterum de hac re egit. tractavit hic duo exempla e scena tragica deprompta, quae ad Antisthenis Archelaum redire contendit (p. 3—10). I. in tragoediis ditissimus quisque et nobilissimus gravissimis calamitatibus incidit. II. homo vere sapiens comparari potest cum bono histrione, qui omnes partes sibi traditas sive regis sive mendici eadem arte agit. ac primum quidem qui haec exempla plane diversa comparabit, non suspicabitur, immo praefracte negabit ea in eodem libro extitisse, quoniam in priore homines actores, in posteriore histriones sunt. et quoniam posterius exemplum apud Dionem non est, nobis res est solum cum priore. idem quod Socrates apud Dionem § 20, apud Aelianum dicit V. H. II, 11 colloquens cum Antisthene. iniuria autem Duemmler ea de causa contendit Antisthenis esse hoc exemplum, nam si Socrates talia cum Antisthene collocutus est, certe non apud Antisthenem dixit, nisi forte credis Antisthenem ipsum in dialogi scenam se produxisse. de tertio loco, quem vir doctus affert, pauca addam. est in prima epistula Socratica (Socrates ad Archelaum regem), quam ad Antisthenis Archelaum redire Hirzel *(dialog I, p. 124)* contendit, p. 611 Hercher, 7 Orelli. sed loco lecto hic neque de scena agi neque „nostrum *τόπον*“ eo illustrari videbis. neque cautius egit Duemmler in sequentibus, quibus ea, quae de Archelao dialogo comperta habemus, cum Dione confert. de Archelao Athenaei locus est V, p. 220 D: *ὁ δὲ πολιτικὸς αὐτοῦ* (Antisthenis) *διάλογος ἁπάντων καταδρομὴν περιέχει τῶν Ἀθήνησι δημαγωγῶν, ὁ δ' Ἀρχέλαος Γοργίου τοῦ ῥήτορος.* ad haec Duemmler dicit p. 2: *„sollte sich die unächtheit des ganzen zehnten bandes des Antisthenes nachweisen lassen . . ., so würde ich Antisthenes πολιτικός als*

quelle Dions in anspruch nehmen", et p. 10 sq.: „*sieht es nicht vielmehr aus, als ob Dion den von keiner seite bezweifelten πολιτικός benutzt hätte? die καταδρομή der athenischen volksleiter ist vollkommen deutlich bei Dion, aber wo ist die des Gorgias?*" sequentibus deinde hanc *καταδρομὴν Γοργίου* Dionis orationi inesse ostendit. quem ad finem vir doctus *πολιτικόν* attulerit, ego intellegere omnino non possum. num Dionem utrumque dialogum imitatum esse contendit? sed „id ne suspicemur, impedit ipsa declamationis continuatio"! cum omnia, quae antecedunt, Duemmler, frustra quidem, attulerit, ut demonstraret solum Archelaum a Dione excriptum esse, his duobus locis aut Archelaum aut Politicum aut utrumque Dioneae orationi subesse dicit! rè vera igitur Duemmler „nimio fervore abreptus est", cum hanc Socratis orationem ad Antisthenem referre studeret.

Mirandum autem est, quod Paulus Hagen (ut de Ernesto Weber taceam), qui et Duemmleri sententiam et Clitophontem novit, in Philologi vol. L, p. 381 sqq. Dionem e Clitophonte hausisse non modo non contendit, sed ne tangit quidem hanc quaestionem ullo verbo! quare praetermittamus eius disputationem, qua Clitophontem ad Antisthenis Archelaum redire accurate demonstrare sibi visus est.

Redeamus ad Dionem et Clitophontem. ac primum quidem omnes locos afferam, quibus consentiunt:

Clitoph.:	Dio:
407 E: *Ταῦτ' οὖν, ὦ Σώκρατες, ἐγὼ ὅταν ἀκούω σοῦ θαμὰ λέγοντος.*	§ 14: *λόγον λεγόμενον ὑπό τινος Σωκράτους, ὃν οὐδέποτε ἐκεῖνος ἐπαύσατο λέγων.*
407 A: *ὥσπερ ἐπὶ μηχανῆς τραγικῆς θεός,*	§ 14: *ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς θεός, ὥς ἔφη τις.*
407 A: *ὁπότε ἐπιτιμῶν τοῖς ἀνθρώποις ... ὑμνεῖς λέγων.*	§ 16: *ὁπότ' ἴδοι πλείονας ἀνθρώπους ... ἐπιτιμῶν ἐβόα.*
407 A: *ποῖ φέρεσθε, ὤνθρωποι, καὶ ἀγνοεῖτε οὐδὲν τῶν δεόντων πράτ-*	§ 16: *ποῖ φέρεσθε, ὤνθρωποι, καὶ ἀγνοεῖτε μηδὲν τῶν δεόντων πράτ-*

τοντες, οἵτινες χρημάτων μὲν πέρι τὴν πᾶσαν σπουδὴν ἔχετε, ὅπως ὑμῖν ἔσται, τῶν δ' υἱέων, οἷς ταῦτα παραδώσετε, ὅπως ἐπιστήσονται χρῆσθαι δικαίως τούτοις, ἀμελεῖτε, καὶ οὔτε διδασκάλους αὐτοῖς εὑρίσκετε τῆς δικαιοσύνης, εἴπερ μαθητέον· εἰ δὲ μελετητέον τε καὶ ἀσκητέον, οἵτινες ἐξασκήσουσι καὶ ἐκμελετήσουσιν ἱκανῶς· οὐδέ γ' ἔτι πρότερον ὑμᾶς αὐτοὺς οὕτως ἐθεραπεύσατε, ἀλλ' ὁρῶντες γράμματα καὶ μουσικὴν καὶ γυμναστικὴν ὑμᾶς τε αὐτοὺς καὶ τοὺς παῖδας ὑμῶν ἱκανῶς μεμαθηκότας, ἃ δὴ παιδείαν ἀρετῆς εἶναι τελέαν ἡγεῖσθε, κἄπειτα οὐδὲν ἧττον κακοὺς γιγνομένους περὶ τὰ χρήματα, ὅμως οὐ καταφρονεῖτε τῆς νῦν παιδεύσεως οὐδὲ ζητεῖτε οἵτινες ὑμᾶς παύσουσι ταύτης τῆς ἀμουσίας; καίτοι ...

τοντες, χρημάτων μὲν ἐπιμελούμενοι καὶ πορίζοντες πάντα τρόπον, ὅπως αὐτοί τε ἄφθονα ἕξετε καὶ τοῖς παισὶν ἔτι πλείω παραδώσετε, αὐτῶν δὲ τῶν παίδων καὶ πρότερον ὑμῶν τῶν πατέρων ἠμελήκατε ὁμοίως ἅπαντες, οὐδεμίαν εὑρόντες οὔτε παίδευσιν οὔτε ἄσκησιν ἱκανήν, οὐδὲ ὠφέλιμον ἀνθρώποις, ἣν παιδευθέντες δυνήσεσθε τοῖς χρήμασι χρῆσθαι ὀρθῶς καὶ δικαίως, ἀλλὰ μὴ βλαβερῶς καὶ ἀδίκως, καὶ ὑμῖν αὐτοῖς, ὃ σπουδαιότερον τῶν χρημάτων, καὶ υἱοῖς καὶ θυγατράσι καὶ γυναιξὶ καὶ ἀδελφοῖς καὶ φίλοις, κἀκεῖνοι ὑμῖν. ἀλλ' ἢ κιθαρίζειν καὶ παλαίειν καὶ γράμματα μανθάνοντες ὑπὸ τῶν γονέων καὶ τοὺς υἱοὺς διδάσκοντες οἴεσθε σωφρονέστερον καὶ ἄμεινον οἰκήσειν τὴν πόλιν; καίτοι ...

407 C: καίτοι διά γε ταύτην τὴν πλημμέλειαν καὶ ῥαθυμίαν, ἀλλ' οὐ διὰ τὴν ἐν τῷ ποδὶ πρὸς τὴν λύραν ἀμετρίαν καὶ ἀδελφὸς ἀδελφῷ καὶ πόλεις πόλεσιν ἀμέτρως καὶ ἀναρμόστως προσφερόμεναι στασιάζουσι καὶ πολε-

§ 19: καὶ νῦν ἐπὶ ταύταις ταῖς ἐλπίσιν οἰκεῖτε τὴν πόλιν καὶ τοὺς υἱέας παρασκευάζετε ὡς δυνατοὺς ἐσομένους χρῆσθαι τοῖς τε αὑτῶν καὶ τοῖς δημοσίοις πράγμασιν, οἳ ἂν ἱκανῶς κιθαρίσωσι Παλλάδα Περσέπολιν δεινάν, ἢ τῷ

Clitoph.:	Dio:
μοῦντες τὰ ἔσχατα δρῶσι καὶ πάσχουσιν.	*ποδὶ βῶσι πρὸς τὴν λύραν· ὅπως δὲ γνώσεσθε τὰ συμφέροντα ὑμῖν αὐτοῖς καὶ τῇ πατρίδι καὶ νομίμως καὶ δικαίως μεθ᾽ ὁμονοίας πολιτεύσεσθε καὶ οἰκήσετε, μὴ ἀδικῶν ἄλλος ἄλλον μηδὲ ἐπιβουλεύων, τοῦτο δὲ οὐδέποτε ἐμάθετε οὐδὲ ἐμέλησεν ὑμῖν πώποτε οὐδὲ νῦν ἔτι φροντίζετε.*

Ex his apertum est Dionem Clitophontem, non Clitophontis fontem imitari, quoniam veri dissimillimum est utrumque imitatorem tam arte fontis verba secutum esse. accedit, quod et verba *ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς θεός* et Socratem saepe hanc orationem habere non in oratione ipsa exstant. quodsi uterque Antisthenem imitatus esset, uterque non solum declamationem illam, sed etiam quae antecedebant vel sequebantur retractasset. neque mirum est Dionem hoc dialogo usum esse, quippe qui etiam aliis eorum temporum scriptoribus usitatus esset, Plutarchum et Epictetum dico, Pseudo-Lucianum, Themistium. qui omnes initium orationis *ποῖ φέρεσθε* afferunt. sed placet omnes hos locos excribere, quo melius Clitophontis vestigia cognoscamus.

Plutarch. de liber. educ. p. 4 E: *εἶτ᾽ οὐκ εἰκότα πολλάκις Σωκράτης ἐκεῖνος ὁ παλαιὸς ἔλεγεν, ὅτε εἴπερ ἄρα δυνατὸν ἦν, ἀναβάντα ἐπὶ τὸ μετεωρότατον τῆς πόλεως ἀνακραγεῖν μέρος ʽὦ ἄνθρωποι, ποῖ φέρεσθε, οἵτινες χρημάτων μὲν κτήσεως πέρι πᾶσαν ποιεῖσθε σπουδήν, τῶν δ᾽ υἱέων, οἷς ταῦτα καταλείψετε, μικρὰ φροντίζετε;᾽*

Arrian. Epict. diss. III, 22, 26: *δεῖ οὖν δύνασθαι ἀνατεινάμενον, ἂν οὕτω τύχῃ, καὶ ἐπὶ σκηνὴν τραγικὴν ἀνερχόμενον λέγειν τὸ τοῦ Σωκράτους ʽἰὼ ἄνθρωποι, ποῖ φέρεσθε; τί ποιεῖτε, ὦ ταλαίπωροι᾽.*

Themist. or. XXVI, p. 320 D: *ἀναβῆναι ἐπὶ βῆμα ὑψηλὸν καὶ ἀνειπεῖν ὥσπερ θεὸν ἐκ τραγικῆς μηχανῆς, ποῖ φέρεσθε, ὦ*

ἄνθρωποι, καὶ ἀγνοεῖτε οὐδὲν τῶν δεόντων πράττοντες; οἵτινες et cetera ad verbum usque ad *ἀμουσίας* (Clitoph. 407 C).

Ps. Lucian. Cyn. 18: *καὶ ὑμᾶς ἄν τις ἐρωτᾷ, ποῖ φέρεσθε;*

Vides Dionem Plutarchum Themistium proxime ad Clitophontem accedere, cum non solum prima verba, sed etiam argumentum orationis exhibeant. sed etiam Epictetus Clitophontem ipsum sine dubio legit. Ps.-Lucianus autem iam in iis, quae antecedunt, verba *ποῖ φέρεσθε* circumscribit. sed ne credas omnes hos auctores cynico fonte usos esse (nam omnes, quos attuli, etiam alibi cynica proferunt), vide Plutarchum bis alium locum Clitophontis p. 407 C ad verbum excribere adiecto Platonis nomine (an virt. doc. possit. p. 439 E et de vit. pud. p. 534 E). item Themistius l. c. p. 321 C. Platonem se sequi aperte indicat (*ὅσα τοιαῦτα τῶν Σωκράτους καὶ Πλάτωνος κηρυγμάτων*). itaque constat Clitophontem dialogum iis temporibus a multis lectum fuisse [1]). quin a Platone ipso Clitophon profectus esset, tum nemo dubitabat.

Clitophontem dialogum scriptum esse in Platonis Reipubl. librum primum Kunert (*quae inter Clitophontem dialogum et Platonis rempublicam intercedat necessitudo* diss. Gryph. 1881) satis ostendit. neque est, cur suspicemur eum Antisthenis quoddam scriptum, Archelaum, ut Hagen vult, Protrepticum ex Hirzelii (dialog. I, 118) sententia imitatum esse. nam quamquam etiam ceteri Socratis discipuli in eo carpuntur, maxime tamen Platonem respicit. sed quaerat aliquis, quemnam Socraticum secutus Clitophontis scriptor contenderit Socratem tam acerbe paene cynicum in modum Athenienses ad virtutem adhortatum esse: hausit aut ex Platone ipso aut e Socratis vitae ratione, qualis tum apud omnes nota erat. locus Platonis, quem Paulo Hagen (Philol. L) debeo, est Apol. 29 D: *καὶ ἕωσπερ ἂν ἐμπνέω καὶ οἷός τε ὦ, οὐ μὴ παύσωμαι φιλοσοφῶν καὶ ὑμῖν παρακελευόμενός τε καὶ ἐπιδεικνύμενος, ὅτῳ ἂν ἀεὶ ἐντυγχάνω ὑμῶν, λέγων οἷάπερ εἴωθα, ὅτι ὦ ἄριστε ἀνδρῶν, Ἀθηναῖος*

---

1) Chrysippum eo usum esse docet Hartlich (*de exhortationum a Graecis Romanisque script. historia, Leipz. studien vol. XI)*, p. 247, Iamblichum p. 229 sqq.

ὤν, πόλεως τῆς μεγίστης καὶ εὐδοκιμωτάτης εἰς σοφίαν καὶ ἰσχύν, χρημάτων μὲν οὐκ αἰσχύνει ἐπιμελούμενος, ὅπως σοι ἔσται ὡς πλεῖστα, καὶ δόξης καὶ τιμῆς, φρονήσεως δὲ καὶ ἀληθείας καὶ τῆς ψυχῆς, ὅπως ὡς βελτίστη ἔσται, οὐκ ἐπιμελεῖ οὐδὲ φροντίζεις; hunc vere protrepticum sermonem Plato in Apologia certe non e scripto hausit, cum dicat: *λέγων οἷάπερ εἴωθα*, et minime ex Antisthenis libello, quoniam vix quisquam credat illius Archelaum vel Protrepticum ante Platonis Apologiam scriptum esse. hinc, sive ex Platone sive e Socratis vita ipsa, Clitophontis scriptor hausit Socratis protrepticum, quem verbis *ὥσπερ ἐπὶ μηχανῆς τραγικῆς θεός* paulum irridet.

Et haec quidem de Clitophonte. iam quaerendum nobis est, quomodo Dio suum protrepticum e Clitophonte transformaverit et amplificaverit. vidimus § 16—17 *καίτοι* e fonte esse. quae secuntur § 17—19 *τὰ ἴδια* Dio, ut videtur, de suo addidit. § 17 comparari potest cum or. LXIX, 5, quo loco similis disputatio extat; ad § 18 dubitanter contuli Xen. Apomn. IV, 2, 2 et 3. finis § 19 rursus Clitophontem sapit. § 20 Duemmler recte cum Aelian. V. H. II, 11 contulit, quo ex loco probabile fit etiam Dionem Socratis apophthegmate usum esse. Palamedis exemplum § 21 consentit fere cum Xen. Apomn. IV, 2, 33. § 23—26 Dio sine dubio ipse finxit. inde ad § 27 initium cf. Xen Apomn. IV, 1, 4, ad finem Apomn. IV, 2, 22, ad § 28 Apomn. IV, 2, 23.

Sed quaeramus, quid de tota Socratis oratione censendum sit. a § 16 usque ad § 22 omnia continuo procedunt. § 23 fingit sibi adversarium, quocum usque ad § 26 disputat. § 27 oratione recta, ut ita dicam, relicta Dio obliqua utitur; § 28 nonnullae de Socratis philosophandi ratione breves sententiae adduntur. qua ex re concludi potest Dionem minime unum exemplar sequi, sed primum orationem Socratis e Clitophonte sibi notam imitatus est, amplificavit et ornavit, tum alia Socratis dicta e Xenophonte vel aliis vel apophthegmatis sumpsit. Dionem ipsum monere, ne se unam orationem ad verbum excripsisse putemus (cf. Dio § 15), recte dicit Hirzel II, 104, 2.

Non alium igitur de hac Dionis oratione iudicium ferendum est, ac de Socratis de rege Persarum dicto, quod Dio e Plat. Gorgia depromptum imitatus est or. III, § 1, amplificavit et suis et aliorum sententiis § 29—41.

OR. XV. Iam antequam mihi Hirzelii liber de dialogo scriptus in manus venit, adductus primum orationis titulo Dionem Antisthenem sequi suspicatus sum, cuius inter scripta apud Diog. La. VI, 15 in tertio tomo idem titulus invenitur. etiam de Wilamowitz de Antisthene Dionis auctore cogitavit, cum in commentariolo grammatico tertio (index lectt. Gott. sem. aest. 1889, p. 12) eius Cyrum dialogum hic latere coniceret (Cyrus commemoratur § 22). age nunc quae ad tales sententias fulciendas alicuius momenti esse videantur, conferam.

Athenienses in Dionis dialogo colloqui evincitur e § 3. 5. 7, praeterea eo, quod Cynosarges gymnasium sine urbis adnotatione commemoratur. in Cynosarge autem gymnasio Demosthenis temporibus *νόθοι* non iam exercebantur, vide Hirzel II, 103, 2 et quae affert. sed praeterea alia temporis indicia videntur inesse. § 14 agitur de Atheniensium miserrimo bello Siculo, § 15 de Calliae filio ceterum plane ignoto, excepto uno loco, schol. ad Aristoph. Vesp. 1221: *τίς πολίτης ἐστὶ νῦν πλὴν ἢ Σάκας ὁ Μυσὸς ἢ τὸ Καλλίου νόθον* (cf. de Wilamowitz l. l.). unde Dio hanc narratiunculam et pugnam apud Acanthum commissam, quam nos aliunde non novimus, sumpsit? sed porro qui sunt Thraces et Persae, qui „nunc hic serviunt"? § 28 Dio de pugna Leuctrica loquitur et de Messeniorum republica a Thebanis restituta. sed non omnia exempla a Dione allata eadem tempora respiciunt, § 21 commemoratur pugna Chaeronensis, § 20 nomine omisso de Romanis sermo fit. sed haec apud Dionem offendere non possunt, qualem eum adhuc cognovimus. nam neque omnia Antisthenica esse omnino quisquam putabit, et § 11 etiam Platonis imitationem tenemus (Theaet. 175 A).

Videamus nunc, an re vera Dionem Antisthenis dialogum sequi credibile sit. dialogi summam Dio indicat § 31: *ὃς ἂν ᾖ πρὸς ἀρετὴν καλῶς γεγονώς, τοῦτον προσήκει γενναῖον*

λέγεσθαι, κἂν μηδεὶς ἐπίστηται τοὺς γονέας αὐτοῦ μηδὲ τοὺς προγόνους. ἀλλὰ μὴν οὐχ οἷόν τε γενναῖον μὲν εἶναί τινα, μὴ εὐγενῆ δὲ τοῦτον, οὐδ᾿ εὐγενῆ ὄντα μὴ ἐλεύθερον εἶναι· ὥστε καὶ τὸν ἀγενῆ πᾶσα ἀνάγκη δοῦλον εἶναι. qua cum sententia et cum omnibus, quae antea disputantur, conveniunt optime tria apophthegmata a Diogene Laertio de Antisthene narrata, quae Cynicorum, fortasse Antisthenis ipsius de servitute iudicium referunt, quamquam cum Antisthenis dialogo ipso sic coniungenda non sunt: Diog. Laert. II, 31: *εἰπόντος γοῦν τινος αὐτῷ* (Socrati), *ὡς εἴη Ἀντισθένης μητρὸς Θρᾴττης, Σὺ δ᾿ ᾤου, ἔφη, οὕτως ἂν γενναῖον ἐκ δυοῖν Ἀθηναίοιν γενέσθαι*; id. VI, 1: *ἐλέγετο δ᾿ οὐκ εἶναι ἰθαγενής, ὅθεν πρὸς τὸν ὀνειδίζοντα εἰπεῖν· καὶ ἡ μήτηρ τῶν θεῶν Φρυγία ἐστίν.* sequitur idem, quod est II, 31. Diog. VI, 4: *ὀνειδιζόμενός ποτε ὡς οὐκ εἴη ἐκ δύο ἐλευθέρων, οὐδὲ γὰρ ἐκ δύο, ἔφη, παλαιστικῶν, ἀλλὰ παλαιστικός εἰμι.*

Sed licet fortasse longius progredi. conferas enim huius orationis initium cum or. XXVI, qua Dionem Pseudo-Platonis Sisyphum imitari posthac demonstrabo. in utraque invenies statim initio fontis titulum commemoratum, ita ut hoc a Dione alienum esse non dicas. et ut in or. XXVI Dio Sisyphi prooemium paulo mutatum respicit, sic fortasse etiam hic de fontis prooemio loquitur, cum dicat: *ἐτύγχανον γὰρ ὑπὲρ ἄλλων πρότερον ἀντιλέγοντες, ὡς ἐμοὶ δοκοῦσιν. ἡττώμενος δὲ κτλ.* sed satis de hac coniectura, quam coniecturam esse non nego.

OR. XXVI. Orationem vicesimam sextam transformatam esse e Pseudo-Platonis Sisypho [1]) viderunt Hirzel demum (*der dialog II, p. 105)* et de Arnim (in adnotatione), cum priores editores ne dialogicam formam quidem huius orationis agno-

1) Tempus, quo Sisyphus dialogus compositus est, de Wilamowitz certa ratione constituit. duo enim viri commemorantur et ita quidem, ut eos dialogi temporibus vixisse pro certo habendum sit, Stratonicus citharista, quem medio saeculo quarto floruisse nunc constat, et Callistratus Aphidnensis, qui prima saeculi quarti parte reipublicae Atheniensium praeerat. quare constare videtur Sisyphum circiter anno 350 a. Chr. n. scriptum esse.

vissent. sed quoniam neuter eorum diserte comparationem perfecit, nunc proferam, quae mihi de his dialogis dicenda videntur, ita ut etiam ex hoc loco Dionis aliena retractandi ratio illustretur.

Ac primum quidem titulus utriusque scripti idem est *περὶ τοῦ βουλεύεσθαι.* tum quod Dio initium facit a certo consilio, cui is, quocum dialogus fit, interfuit, habes idem in Sisypho, scilicet Socratem colloquentem cum Sisypho Pharsalio postridie quam Pharsaliorum consilium habitum est. sequitur statim apud utrumque, ut dialogi, ut ita dicam, protagonistes quaerat, quid sit consiliari.

Sisyph. 387 C:	Dio § 1:
Ἀλλὰ περὶ αὐτοῦ τοῦ βουλεύεσθαι πρῶτον, ὅτι ἔστιν, ἐπιχειρήσαιμ' ἂν διαλεχθῆναί σοι.	*καὶ ἀναζητῶ, τί ἐστι τοῦτο ὅ φατε βουλεύεσθαι.* (quae secuntur verba recte seclusit de Arnim.)

refutatur deinde primum ea sententia, ex qua consilietur is, qui de re plane incognita sine ulla ratione aliquid divinetur:

387 D:	§ 1:
εἴ γέ τι ἄλλο ἐστὶν ἢ ὅπερ τὸ μὴ ἐπιστάμενόν τινα περὶ ὧν ἂν δέῃ τι πράττειν, διαμαντευόμενον καὶ σχεδιάζοντα λέγειν ὅτι ἂν τύχῃ.	*τί δαί; ἃ οὐκ οἶδεν οὐδὲ ἐπίσταται, περὶ τούτων ὥσπερ διαμαντευόμενος καὶ ἀναζητῶν γνῶναι ἃ οὐκ οἶδεν;*

quibus abiectis scriptores ad alteram quaestionem transeunt, num is de re quadam consiliari possit, qui sciat quidem alia quae ad rem pertinent, alia vero nesciat:

388 A:	§ 2:
οὐ τοίνυν τοιοῦτόν ἐστιν, οἷόνπερ μὴ ἐπίστασθαι κομιδῇ μηδέν, ἀλλ' οἷον τὸ μὲν εἰδέναι τι τοῦ πράγματος ἤδη, τὸ δὲ μηδέπω ἐπίστασθαι.	*ὅρα οὖν μὴ τοιόνδε τι ᾖ τὸ βουλεύεσθαι ὥστε τινὰ μὲν εἰδέναι, τινὰ δὲ ἀγνοεῖν, καὶ τοῦτο ᾖ περὶ οὗ βουλεύονται ἄνθρωποι;*

Quae secuntur, difficiliora sunt, cum Dio non iam plane cum Sisypho consentiat, sed eius sententias mutaverit et con-

traxerit. nam inde a p. 388 B usque ad 389 A in Sisypho non de *βουλεύεσθαι*, sed de *ζητεῖν* agitur et quid hoc sit constituitur, priusquam ad *βουλεύεσθαι* redeatur. Dio autem exemplis ea illustrare conatur, quae initio § 2 proposuit. duo exempla sunt, utrumque sumptum e Sisypho, sed ita ut eo, quod Socrates p. 387 D protulit, posteriore utatur, altero, quod est Sis. 388 C, priore mutatis nominibus. omissis eorum virorum coniecturis, qui nondum fontem dialogi Dionei noverant, solum cum v. d. de Arnim agam, qui verba *μὴ ἄρα τοῦτο ᾖ τὸ βουλεύεσθαι* (§ 3 initio) seclusit. ego plane aliam viam ingressus sum, quam mihi comparatio Dionis cum fonte facta ostendere videbatur. in Sisypho enim lusorum exemplum diserte distinguitur a Callistrati exemplo, quoniam illud ad priorem, hoc ad posteriorem consiliandi explicationem affertur. quare videamus, num apud Dionem haec duo exempla plane confundantur, ita ut alterum altero comprobetur. audi quomodo Dio disserat: *ὑποτιθέμεθα γὰρ εἰδέναι μὲν ἡμᾶς Χαρικλέα . . . οἰκίας αὐτοῖν· μὴ ἄρα τοῦτο ᾖ τὸ βουλεύεσθαι, ὥστε ἐξ ὧν οἴδαμεν — τεκμαίρεσθαι.* hoc prius exemplum. compara quae secuntur: *καθάπερ οἱ ἀρτιάζοντες . . . ἀπηλλάγησαν. μὴ ἄρα καὶ τὸ βουλεύεσθαι τοιοῦτον ᾖ, ὥστε εἰδέναι μὲν* . . . cetera vix sana sunt, quoniam tale anacoluthon vix ferri potest, sed de sententia dubitari nequit. nonne plane idem verborum conexus, nonne Isocratea fere membrorum concinna dispositio? quare pro certo habeo non alterum ex altero exemplo pendere, sed duo exempla esse fortasse eiusdem rei, fortasse autem duarum rerum, quoniam aliud est ex iis, quae cognovimus, novi aliquid concludere (*τεκμαίρεσθαι*), aliud optione data inter duas res sine ratione alteram eligere (*αὐτομάτως ἐπιτυχεῖν*). quare restitue, quae tradita sunt, et insere *ἢ* ante *καθάπερ οἱ ἀρτιάζοντες*, ita ut duo exempla eveniant.

Quae secuntur § 4 et 5 de Arnim ab hoc loco aliena censet. ac profecto non intellegeremus, quomodo cum antecedentibus et sequentibus haec disputatio cohaereat, nisi eius fontem teneremus, scilicet Sis. 390 D—391 C. quo loco Socrates non posse alterum altero melius consiliari demonstrat,

cum consiliari idem sit ac temere sagittare scopo non proposito. qui ad hanc disputationem transitus fit a Pharsaliorum consilio, eo omisso Dio pergit quaerere, quid sit *βουλεύεσθαι.* qua de re postea. iam agam de hac disputatione.

De fonte dubitari nequit, id quod statim apparet; nam quae Dio dicit: *τὰ ὄντα καὶ ἔστι καὶ ἐγένετο καὶ ὑφέστηκε* (§ 4) et eadem tria membra paulo infra ter repetit, idem est in Sisypho p. 390 E: *μήπω ἔστιν, οὕτως οὐδὲ γέγονε . . . οὔπω οὐδὲ φύσιν ἔχει οὐδεμίαν* [*αὐτῶν*] [1]) et paulo infra *περὶ πραγμάτων οὔτε ὄντων οὔτε γεγενημένων οὔτε φύσιν οὐδεμίαν ἐχόντων.* itaque non est, cur cum v. d. de Arnim ubique *τὸ μέλλον* mutemus in *τὸ μὴ ὄν.* de singulis pauca addenda videntur. restitue § 4 *περὶ τῶν ἤδη ὄντων,* repulsa de Arnim coniectura. item restitue *ἔστι γάρ· καὶ οὐδὲν ὄφελος κτλ.,* nam distinguuntur existentia, ortus, substantia. restitue deinde *οὕτως ὡς ἐγένετο,* quae hanc sententiam cum antecedenti coniungunt. recte deinde § 5 pars codicum servavit: *τὸ γὰρ οὐκ ὂν οὐδέν ἐστιν.* sequentia de Arnim seclusit, et merito quidem, si verba tradita servas; nam sic repetuntur sola, quae scriptor paulo ante dixit: *περὶ τῶν οὐκ ὄντων.* ego aliter censeo et sic ordinem constituo: de eo, quod non est, consiliari non potes: nam quod non est, nihil est: non potes autem consiliari de eo, quod nihil est. quare scripsi: *περὶ δὲ τοῦ οὐδενὸς ὄντος κτλ.* quae secuntur, disputationis summam continent.

Sed quid censes de ultima Dionei dialogi parte? videtur enim a fonte plane aliena esse, sed videtur solum. nam exempla a musica et a navigatione petita Dio sumpsit e Sis. 389 C D (omisit artis militaris exemplum), de geometra agit Sis. 388 E. neque in universum, quid sibi voluerit Dio, cum hanc partem scriberet, ex ipso nobis quaerendum est, nam p. 390 B Socrates de Pharsaliorum consilio dicit: *ἀλλ' ἐδοκεῖτέ μοι τὴν ἡμέραν ὅλην τὴν χθές . . . ἀμελήσαντες μαν-*

1) *Αὐτῶν,* quod non intellego, interpolatum arbitror.

θάνειν . . . cum his compara Dionis § 7: *χρὴ οὖν ἐπιμελεῖσθαι μάλιστα φρονήσεως καὶ παιδείας κτλ.* [1]).

Sed tota haec pars maxime idonea est, qua illustretur, quid intersit inter fontem et imitatorem. Pseudo-Platonis Sisyphus dialogus minime contemnendus est, quoniam non sine arte Platonis scribendi rationem imitatur. quaeritur, quid sit consiliari, sed quaestio non absolvitur, quomodo autem consiliari debeant homines, aperte dicitur. non opus est e Platonis scriptis ipsis exempla huius rationis afferre; nam semper viros doctos vexavit, quod multae Platonis quaestiones sine certa definitione concluduntur. Dio vero non dialectica, sed moralia scripta confecit. propterea etiam hic, ubi quaestionem dialecticam imitatur, id quod ei gravissimum videtur, ut hominibus ad vitam bene degendam praecepta det, in fine ponit non sine detrimento totius dialogi conexus. dubitari autem potest, utrum Dio hanc paraphrasin, ut ita dicam, perfectam reliquerit, an postea eam ad unguem perpolire in animo habuerit.

OR. XXX. *Χαρίδημος.* Dio cum patre et fratre Charidemi mortui colloquitur, ut audiat ultimos amici sermones. habes igitur idem propositum, quod est in Platonis Phaedone. sed maior est necessitudo, quae inter haec duo scripta intercedit. Charidemi morientis constantia animi et tranquillitas (§ 6) consentit cum Socrate (Phaedon. 58 E). tres deinde Charidemus de vita humana sententias profert, primam § 10—24, qua vita cum carcere comparatur [2]), alteram § 26—27, homines a dis originem ducere et hominum vitam quasi coloniam deorum civitatis esse, tertiam § 28—44, qua mundus domus pulcherrima esse dicitur, in qua homines habitent. ac de singulis partibus, quoniam lis adhuc sub iudice est, omittam nunc verba facere, prima videtur cynica esse [3]),

---

1) Iniuria de Arnim *οὐκ ἀτέχνως* pro *ἀτεχνῶς* sripsit, quoniam *ἀτέχνως* (sine arte) semper rarissimum est a Dione certe non usurpatum.

2) § 15 verba *ἐκ τῶν ἐναντιωτάτων* ut glossema eorum, quae antecedunt, secludenda censeo.

3) Quae intercedunt inter primam et alteram fabulam (§ 25) verba

tertia fortasse stoica. hoc autem pro certo habeas Dionem ad comparandas has imagines adductum esse Plat. Phaedon. 62 B: *ὁ μὲν . . . λόγος, ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμεν οἱ ἄνθρωποι καὶ οὐ δεῖ δὴ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν οὐδ' ἀποδιδράσκειν μέγας τέ τίς μοι φαίνεται καὶ οὐ ῥᾴδιος διιδεῖν. οὐ μέντοι, ἀλλὰ τόδε γέ μοι δοκεῖ, ὦ Κέβης, εὖ λέγεσθαι, τὸ θεοὺς εἶναι ἡμῶν τοὺς ἐπιμελουμένους καὶ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους ἓν τῶν κτημάτων τοῖς θεοῖς εἶναι.* § 26 et 27 autem videntur ex ipso Platone haustas esse. tenemus igitur Dionis orationem plane ad Platonis Phaedonem compositam. ad hoc bene quadrat, quod Philostratus tradidit Dionem hunc Platonis dialogum valde amasse. ceterum ad omnia quae dixi cf. Hirzel II, 111 sqq.

DE DIONIS OR. III EXCURSUS.

Dionis orationem tertiam non integram nobis traditam esse cum editores iam hic illic adnotaverint, nunc tota oratione perlustrata in universum de difficultatibus, quae ei passim insunt, cum agam, quid de singulis earum censendum sit, diiudicare conabor, quoniam praeter nonnullas interpolationes multa, quamquam non suo loco leguntur, tamen vere Dionea mihi videntur esse.

Dio postquam a Socratis quodam de regis Persarum beatitudine dicto initium fecit, ad laudes Imperatoris transit, cum dicat: *αὐτίκα τὰς μὲν ἀλόγους ἡδονὰς ὑποπτεύεις κτλ.* (§ 3). quam post sententiam conexus interrumpitur, ita ut scriptor subito de boni regis statu loquatur. accedit, quod appellatio *αὐτοκράτορ* intra breve spatium repetitur.

Quae deinde ab *ἐπειδὴ ὁρῶ σε* [1]) secuntur, omnia fere sana sunt usque ad § 9, quam de Wilamowitz seclusit. adde

---

de eo, qui primam sententiam protulit, referri possunt ad Antisthenem. cf. Hagen p. 21, Duemmler in Acad. p. 94. aliter censet Hirzel II, 112, 3.

1) Restitui enim asyndeton. ad hunc Dionis praefandi rationem cf. initium or. XVIII: *πολλάκις ἐπαινέσας τὸν σὸν τρόπον.*

§ 10 et 11, quae et cohaerent cum § 9 et eandem sententiam continent, quam § 6 sqq.

Omittamus initium § 12. verba corrupta quidem, sed certe quasi in parenthesi dicta sunt, ita ut ad emendandum difficillima neque ad orationis conexum cognoscendum necessaria sint.

Sed neque sequens orationis pars coniungi potest cum antecedentibus, quod Dio, cum antea de bono rege verba fecerit, adulationis crimen timere non potest [1]). ceterum haec pars usque ad § 24 apte continuatur excepta § 22, ut recte intellexit de Arnim.

Quod deinde Dio pergit: *ἵνα δὲ μήτε ἐγὼ κολακείας αἰτίαν ἔχω κτλ.*, vide quomodo dissentiant a § 12, in qua dixerat se crimen adulationis non timere [2]). haec verba non quadrant nisi ad laudes Imperatoris, quas Dionem § 3 iam coepisse vidimus. suo igitur iure de Wilamowitz initium orationis § 25 demum excipi contendit; iam habes probum sententiarum conexum: „ego te, Caesar, laudare possum, quod tuas virtutes novi. nam primum pravas voluptates quasi a d u l a t o r e s odisti, labores vero suscipis. — sed ne ego in a d u l a t i o n i s suspicionem incidam, loquar de bono rege." accedit, quod § 29 hanc partem cum orationis initio coniunctam esse aperte indicat. tum omnia bene se habent usque ad § 50, paucis immissis interpolationibus, § 30 sub finem, § 33 s. f., quae de Wilamowitz seclusit, item in § 43 et 45 nonnulla verba, § 46 altera pars. haec sunt graviora, cetera minimi momenti sunt [3]). in fine autem § 50 de Arnim sagacissime codd. lectionem *τὰ περὶ τοῦ Διός* restituit. ceterum haec verba, quibus de Jove bono rege disputationem significari

---

1) Dionis hanc defensionem esse docet or. L § 8: *καὶ οὐκ ἔστι δέος μήποτε ἐγὼ δόξω κολακεύειν ὑμᾶς, οὐ κολακεύσας τὸν ἐχθρὸν τύραννον.*

2) Similia Dio or. I, 15 dixit, quam orationem scriptor respicere videtur, cum dicat § 26: *εἰ δέ τις φήσει με τοὺς αὐτοὺς* <*ἀεὶ*> *ποιεῖσθαι λόγους* (*ἀεί* ex Arnimi coniectura).

3) Dubito, num de Arnim merito § 28 verba *ἢ λέγειν* deleverit, quoniam medici est sermones ad medicinam pertinentes non solum audire, sed etiam habere. de fine § 28 cf. quae dixi p. 28, 2.

de Arnim intellexit, quae est or. I, 37 sqq.; XII, 75 sqq., neque cum antecedentibus neque cum sequentibus cohaerent, ita ut cognosci possit librarium non solum ipsam illam partem, sed etiam quae eam circumdabant, omisisse.

Sequitur laus boni regis, quam scriptor § 25 indicaverat: *ποιήσομαι τοὺς λόγους ὑπὲρ τοῦ χρηστοῦ βασιλέως, ὁποῖον εἶναι δεῖ καὶ τίς ἡ διαφορὰ τοῦ προσποιουμένου μὲν ἄρχοντος εἶναι, πλεῖστον δὲ ἀπέχοντος ἀρχῆς καὶ βασιλείας.* et ita quidem haec laus instituta est, ut primum de deorum veneratione, tum de cura hominum agatur, quibuscum comparari potest or. I, 15—17 [1]). inde a § 55 unaquaeque fere sententia accurate nobis examinanda est, ut genuinum orationis conexum cognoscamus. statim extrema § 55 duae sententiae coniunctione *ὅτε* inductae sunt, quibus boni regis cura hominum confirmetur. prior optime refertur ad § 51, explicatur autem postea § 62—83, posterior et per se minus apta praeterea multis verbis ea repetit, quae iam antea dicta erant regem pro civibus labores suscipere. confunduntur igitur duae rationes, aut: deus ita mundum constituit, ut semper *τὸ βέλτιον τῷ ἥττονι* provideat et imperet (§ 55 sq. et § 62—82) aut: omnes homines aliquo modo suis laboribus delectantur (§ 56—57) [2]). utraque ratio exemplis comprobatur, quorum duo, quae sunt de navis gubernatore et de sole (nam verba *ὁρᾷ γὰρ καὶ τὸν ἥλιον ... πράττει* ab editoribus deleta optime coniungi possunt cum § 57), ambabus rationibus communia sunt. neque dubium mihi est, quin prior ratio genuina sit, quoniam deum bonus rex sequitur, ergo *ὑπὸ τοῦ μεγίστου θεοῦ ταχθεὶς* labores suscipit. quibus concessis restant § 58—61, quae ab Emperio post § 85 translatae sunt, unde recte eas reppulit de Wilamowitz. mihi quidem haec pars a

1) In fine primae partis (§ 55) desunt nonnulla, cum non verisimile sit Dionem, quippe qui sententiis large exornatis gaudere soleat, lectori explendum reliquisse, qua de causa rex genios et heroes colat. quae suspicio fulcitur sequenti *(τήν) τε*, quod in *δέ* mutare nolim.

2) Quod de Arnim § 56: *τὰς εὐεργεσίας* pro tradito *ἐργασίας* scripsit, dissentio, nam non de beneficiis, immo de laboribus sermo fit. equidem conieci *⟨ταύτας⟩ τὰς ἐργασίας.*

toto orationis conexu, qualem adhuc constituimus, plane aliena videtur, qua de re postea agam.

In fine § 67 verba inde a *καὶ γὰρ δὴ* usque ad *αἱροῦνται* recte de Arnim seclusit. pro iis huc transponenda est § 85, quae suo loco inepta est. qua vero de causa idem editor in sequenti paragrapho verba *οὐδὲ ὑπὲρ αὑτοῦ φροντίζειν πέφυκεν* abiecerit, non intellego. tum quae sunt de solis cura fortasse non uno tenore scripta sunt. primum enim (§ 74) Dio triplicem solis curam esse dicit, horas eum discernere, animalia et plantas curare, lucem praebere: *καὶ ταῦτα οὐδέποτε κάμνει χαριζόμενος*. tum haec tria solis munera explicantur (§ 75—81): *καὶ ταῦτα μηχανώμενος δι' αἰῶνα οὐδέποτε κάμνει.* quae explicatio certe Dionea (id quod etiam Xenophontis imitatione probatur) fortasse postea addita est, quam ad suspicionem similis exitus me adduxit. de sequentibus § 83 et 84 dubito, utrum genuinae sint necne, quoniam cum antecedentibus minus apte coniunctae sunt, cf. infra p. 79.

§ 86 scriptor ad amicitiam transit, de qua amplius loquitur. etiam huic orationis parti multae difficultates insunt. ac primum quidem editores eandem sententiam bis, § 90 et 91 exprimi viderunt. deinde offendit de Arnim in eo, quod § 100, cum de rebus utilibus iam antea dictum sit, tum de suavibus, nunc iterum utiles tractantur. accedit, quod § 99 et 100 inter se non bene cohaerent. quibus causis adductus duplicem eius sententiae explicandae rationem constitui, breviorem § 90 et 100—101, longiorem § 91—99, qua ea, quae breviore dicta sunt, compluribus exemplis exornantur [1]. quod vero Dio in fine posterioris rationis amorem commemorat, probatur verba illa *πρὸς δὲ αὖ τούτοις γυναῖκες ὡραῖαι καὶ παιδικὰ ὡραῖα* (§ 93) a v. d. de Arnim iniuria deleta esse [2].

Pergentem te offendit, quod ea, quae Dio de rebus adversis et secundis dicit, dirupta sunt verbis *εἰ δὲ σκυθρωπὸν ... ἔχει τὸν συνηδόμενον.* vide, quam bene *ῥᾷον γὰρ κτλ.*

---

1) § 94 verba *μόνῃ δὲ τῇ φιλίᾳ ... ἁπάντων δὲ ἥδιστον* videntur breviori rationi adscribenda esse.

2) Ultimam § 97 sententiam iniuria fortasse de Arnim seclusit.

coniungatur cum *οὐκ ἄχαρις*. denuo accedit, quod et haec sententia immissa et § 102 iisdem verbis concluduntur: *μηδένα (οὐδένα) τὸν συνηδόμενον*. et qua de causa Dio huc postea *ἐρημίαν* immiserit, intelleges, cum videris eum supra § 96 *ἐρημίαν* iam commemorasse. quod vero de Arnim totam § 103 seclusit, non accedo; adhuc enim scriptor in universum de amicitia locutus est, nunc cum ad finem pervenerit, regem beatissimum omnium esse dicit, qui a plurimis et optimis amicis diligatur. mutato autem *ᾧ γὰρ πλεῖστοι* in *ᾧ δὲ πλεῖστοι* omnia recte procedunt.

§ 104—107 postea additas esse de Wilamowitz facile mihi persuasit, cum ipse iam dubitassem, quomodo cum sequentibus cohaereant; respiciunt autem § 87. quibus deletis amicorum res secundae optime regis beatitudinem secuntur. suo iure deinde in § 108 de Arnim verba *πολλαῖς δὲ διανοίαις φροντίζοντα βουλεύεσθαι* ut interpolata seclusit, iniuria autem, quantum equidem sentio, § 109, quae de divitiis sunt, item iniuria § 110 extremam, qua Dio proverbium notissimum suum in usum vertit.

Quae secuntur eiusdem fere generis videntur esse, cuius § 90 et 91. duplicem igitur conexum etiam hoc loco cognoscas, priorem: *ὥστε οὐδένα ἡγεῖται τῶν . . . ἀδυνάτων εἶναι. ἅμα γάρ τις ἀδικῶν πεφώραται καὶ δῆλον πεποίηκεν, ὅτι οὐκ ἦν φίλος. καίτοι . . . κακόν τι ἀπολαῦσαι. οὕτως δὲ πάνυ τὴν φιλίαν κτλ.* posteriorem: *ὥστε καὶ παθεῖν . . . κέκρικεν. ὅσοι δὲ πεπόνθασι δεινόν, ὑπ᾽ ἐχθρῶν πεπόνθασι . . . ἐχθροί. δεῖ οὖν . . . ὄνομα.* primum enim duobus illis enuntiatis, quae per *ὥστε* incipiunt, plane idem dicitur, tum sequentia non bene cohaerent; accedit, quod *καίτοι* illud sic intellegi vix potest. coniunge autem hanc sententiam cum *ἓν τῶν λεγομένων ἀδυνάτων εἶναι* (animadverte repetitum *ἀδύνατον*), ita ut verba *ἅμα γὰρ . . . φίλος*, quibus quae antea dicta sunt, breviter explicantur, quasi *ἐν παρενθέσει* adiecta sint.

De § 116 et 117 initio postea agendum erit. certe interpolata est § 118, quae ad § 104—107 pertinet. finis huius partis (§ 122) mutilus est, nam Dionem tam pauca de coniugum amore dicturum fuisse veri dissimillimum est.

Etiam de sequenti parte, quae excepta una lacuna satis integra videtur, postea dicam.

§ 128—132 ab editoribus iniuria vulgo post § 111 insertae sunt. sane similis huius partis sensus § 111 est, sed eam huc non pertinere ex eo evincitur, quod si immiseris, totus conexus turbabitur [1]). itaque quoniam neque suo loco apta est, postea addita videtur esse.

Item censendum est de ultima parte, quae est de regis deliciis, initio corrupta, item § 136 (cf. p. 16, 3). neque finis sanus esse mihi videtur, certe non finis est totius orationis.

Iam videamus, numquid ad orationis tertiae conexum constituendum profecerimus. praemonendum autem est omnes partes, quamquam nonnullae cum ceteris plane non cohaerent, Dionis esse; nam et dicendi genus ubique plane Dioneum est, et omnium partium auctores Xenophonte usi sunt, quod satis probabile reddidisse mihi videor. sed talem, qualem nos orationem legimus, Dio Traiano certe non dedicavit. itaque aut nondum perfecta est aut Dio perfectam postea amplificaturus erat. et mihi quidem illud verisimile videtur propterea, quod nusquam probus orationis finis cognosci potest, qui servatus esse debebat, si integra oratio inesset. quare singulae orationis partes nobis nunc disponendae sunt.

Supra vidimus initium orationis, quod est § 1—3 *ἀρετῆς*, excipi demum § 25. a Socrate Dio exordium fecit, cum Socrate denuo se comparat. propositum orationis Dio bis disertis verbis profert, § 25 et 50, de bono rege se locuturum esse. Iuppiter autem ipse bono regi exemplo est (§ 50), *πρὸς ἐκεῖνον βλέπει* (cf. or. I, 45). quare rex primum deos et genios heroesque colit (§ 50—55), deinde homines curat, quoniam a deo hoc munus accepit (§ 55. 62—74). § 86 Dio pergit: *φιλίαν γε μὴν ἁπάντων νενόμικε τῶν αὑτοῦ κτημάτων κάλλιστον καὶ ἱερώτατον.* quae verba quasi *κεφάλαιον* sequentis partis Dio praemittit, quae est usque ad § 115. cognoscas

---

1) § 132 verba *τίς δὲ πλειόνων δεῖται τῶν ἐπιμελουμένων* ab interpolatore addita esse censeo, cum hoc loco scriptor non necessarios regi amicos esse dicit, sed regem facile amicos sibi conciliare posse.

igitur adhuc tria laudationis capita. bonus rex primum θεοφιλής est, tum φιλάνθρωπος, denique φιλόστοργος. et optime quadrat ad hanc dispositionem, quod scriptor § 119 pergit: φιλοίκειος δὲ καὶ φιλοσυγγενής κτλ. ultima pars (§ 122) de coniugis amore est. quae oratio cum perfecta non sit (nam de uxore scriptor sine dubio plura locuturus erat), tali fere modo Dionem eam conclusurum fuisse puto, ut post largiores amoris coniugis laudes dicturus esset de liberorum amore. sic optime finis laudationis cum initio coniuncta fuisset. ibi dixerat regem manes bonorum virorum colere, οὐχ ἥκιστα χαριζόμενος αὑτῷ scilicet cum speret se item a posteris cultum iri, hic dicturus erat bonum regem liberos amare, qui heredes imperii sui et virtutis suae praecones futuri sint. in fine orationis Dio ad Traianum rediturus erat (cf. finem or. I).

Ad hanc qualem constituimus genuinam orationem pertinent § 1—3 ἀρετῆς, § 25—50. 51—55. 62—74. 82. 86—90. 94 μόνῃ ... ἥδιστον, § 100—101 ἄχαρις, § 102 ῥᾷον —103, § 108—113 εἶναι, § 114 ἅμα ... φίλος, § 115. 119—122.

Eorum quae restant tria genera discernenda sunt. primo ea complexus sum, quibus genuinae orationis sententiae aut mutantur aut amplificantur. huius generis cum de singulis iam satis dictum sit, breviter modo afferam. sunt § 12—24, quas ad § 25 Dio addidit, ut se ab adulationis crimine defenderet, § 56 et 57, § 75—81. 85, quae pertinet ad § 67. 91—99 et 101 εἰ δὲ σκυθρωπόν — 102 ἔχει τὸν συνηδόμενον, § 104—107, quibus § 87 amplificatur, § 113 ὥστε καὶ — κέκρικεν et § 114 ὅσοι — ὄνομα, § 128—132 coniungendae cum § 103 (vide enim, quod iam plus uno loco monui, § 103 et 132 similibus verbis finiri).

Altero genere ea continentur, quae plane nova et a genuinae orationis proposito aliena conexum interrumpunt. de his gravior quaestio est, quoniam singulae eius generis partes inter se cohaerere videntur.

§ 3—11, quamvis non integrae, videntur exordium alius orationis esse, qua de re supra egi.

§ 58—61 item removendae sunt a suo loco, quia in iis nihil de regis φιλανθρωπίᾳ dictum est. quod vero Dio in-

cipit: *καὶ τοίνυν τὴν μὲν ἀνδρείαν καὶ τὴν ἐγκράτειαν καὶ τὴν φρόνησιν ἀναγκαίας νομίζει καὶ τοῖς ἀμελοῦσι τοῦ δικαίου,* suspiceris eum antea de tribus illis virtutibus locutum esse. quod sane fecit, scilicet § 3—11, ubi intra breve spatium bis easdem virtutes nominat, § 6—7 et § 10; sic etiam bis in hac parte, § 58 et 60. eiusdem autem argumenti vestigia nobis in Dionis or. LXII occurrunt, quam de Arnim (in Hermae vol. XXVI) accurate interpretatus dicit: „*Ich halte es nicht für unmöglich, daß die in* or. LXII *zusammengestellten stücke zum teil einer früheren recension der dritten rede angehören* (p. 390). sed opus est denuo in eam inquirere et longius hac via progredi.

Orationem *ἀκεφάλαιον καὶ ἀτέλεστον* esse de Arnim recte animadvertit. ac ne omnia repetam, quae vir ille doctus iam dixit, enumerabo solum eos locos, quibus conexus hiare videtur. sunt: § 2 *οἶκον,* § 3 *δέδοικε,* § 3 *σώζοντι,* § 4 in fine, § 7 *θεατῶν,* § 7 *μαλακώτερος.* sed videamus, quid de his frustulis censendum sit

Sardanapalli exemplo probantur, quae Dio dicit § 1—2 *οἶκον*; ad eandem sententiam pertinet § 7 *οὔτε γὰρ ἄφρων κτλ.,* quare coniungas cum § 1—2 *οἶκον,* § 7 *οὔτε γὰρ — μαλακώτερος,* tum § 5—7 *θεατῶν.* vide quomodo cohaereant: mens hominis sapientis omnes regere potest, *ἡ δὲ τοῦ ἄφρονος οὐδὲ ἓν σῶμα . . . δύναται φυλάττειν οὐδὲ ἕνα οἶκον. οὔτε γὰρ ἄφρων βασιλεὺς ἔσται ποτέ, οὐ μᾶλλον ἢ τυφλὸς ἡγεμὼν ὁδοῦ γένοιτ' ἄν* (Dio disertis verbis imaginem supra enarratam respicit). haec sententia exemplo Sardanapalli illustratur, et quod supra dixit: *οὔτε ἄφρων βασιλεὺς ἔσται ποτέ,* idem simili modo de Sardanapallo repetit: *βασιλείας δὲ οὐδὲν ἦν αὐτῷ προςῆκον, οὐ μᾶλλον ἢ τῶν σηπομένων τινὶ νεκρῶν.*

Atque haec hactenus. in fine § 4 verba *ἀλλ' ὅμως τοιοῦτον ὂν πάντων χαλεπώτατον πέφυκεν* iniuria de Arnim iis quae antecedunt contradicere putat. *τὸ αὑτοῦ κρατεῖν* enim quamvis *ἀπραγμονέστατον καὶ ἀκινδυνώτατον* tamen *χαλεπώτατον* est. quae sententia explicatur § 2: *οἱ μὲν γὰρ πολλοὶ κτλ.*: non inopia homines impedit, quominus se ipsi regant, sed copia.

Duae igitur sunt sententiarum partes, quarum utraque de continentia est. et quoniam verisimile est ante § 4 iam antecessisse quaedam de eadem re dicta, hanc partem puto subiunctam fuisse § 7 *θεατῶν*. ab exemplo regis urbibus, divitiis, hominibus abundante facile transitus fit ad verba: *καὶ τοίνυν τῷ μὲν ἄλλων ἄρξοντι πολλῶν κτλ.* [1]).

Restat § 3 inde a verbis *καὶ ταῦτα ὀρθῶς ὑπολαμβάνει* (nam ultima orationis sententia plane praetermittenda videtur). haec ad verbum congruere cum or. III, § 10 de Arnim vidit, qui praeterea optime perspexit *ὑπολαμβάνει* illud respicere or. III, § 9: *ὁ γὰρ τοιοῦτος βασιλεὺς τοῖς μὲν ἄλλοις καλὸν κτῆμα τὴν ἀρετὴν νενόμικεν, αὑτῷ δὲ καὶ ἀναγκαῖον.* idem monet conexum aliquem interesse inter or. III, § 4 et 5 et or. LXII, § 2 sq. accedit, quod etiam per totam or. LXII scriptor quattuor illas virtutes, de quibus iam dictum est, in animo habet, cf. § 5 et 7, 2, 3. Caesarem praeterea Dio et or. III, § 3- 9 et LXII, 3 et 6 alloquitur.

Quare equidem ex una eademque oratione omnes has partes sumptas esse censeo. sequebatur olim or. III paragraphos 3—9 [2]) or. LXII, 3 *καὶ ταῦτα.* quae secuntur, argumentum quasi continent eorum, quae Dio postea enarrat regem maxime omnium virtutum egere. e tota hac disputatione solum ea nobis servata sunt, quae de *ἐγκρατείᾳ* disseruit, cuius partis frustula or. LXII continet. utrum haec pars prima fuerit, necne, diiudicari non poterit. praeterea ultima pars servata est, quae est de iustitia. eam Dio orationi tertiae § 58—61 immiscuit. verisimillimum enim est iustitiam, quam summam virtutem Dio e Platonis exemplo nominat, ultimo loco laudatam fuisse.

---

1) Ad partes leviter tantum coniungendas persaepe Dio coniunctione *καὶ τοίνυν* utitur.

2) Quomodo § 9 *ὁ γὰρ τοιοῦτος* cum § 8 (nam Homeri versus interpolatus est) coniuncta fuerit, adhuc dubito. fortasse *τοιοῦτος* illud pertinet ad *ἅνπερ ᾖ τοιοῦτος* (§ 6). sed haec difficultas nihil ad rem. § 10 autem et 11 postea videntur additae esse sententiam amplificandi causa, cum Dio orationem tertiam qualem nunc tenemus, conscriberet.

De § 83 sq. et 116 sq. ut iudicium feramus, redeundum nobis est ad totius orationis propositum. nam quod Dio § 26 dixit *καὶ τίς ἡ διαφορά κτλ.*, vidimus in genuina oratione de hoc discrimine, quod intercedat inter regem et tyrannum, nihil dictum esse. agitur autem de eo § 58—61, 83 sqq., 116 sq., praeterea in or. LXII. quid igitur? videtur Dio cum orationis de quattuor virtutibus scriptae frustula tertiae immisceret, etiam haec addidisse. quare e genuina oratione § 26 verba *καὶ τίς ἡ διαφορά ... βασιλείας* et § 83 sq. [1]), 116 sq. delenda puto.

Sed quid censendum est de § 123—127, quae sunt de regis laboris amore, et § 133—138, quibus venatio rege digna laudatur? et hoc quidem pro certo habendum est ad genuinam orationem has partes non pertinere. dubitari potest de altera oratione. nam cum iam initio § 3 et 5 scriptor de boni regis beatitudine dixisset, fortasse in extrema orationis parte iterum eam laudavit, ita ut non pravis voluptatibus, immo laboribus eum gaudere, venationem autem unam rege dignam remissionem se putare diceret. sed mittamus haec, quoniam incertissima sunt.

Reliquum est, ut de tertio genere additamentorum loquar, quod interpolatoribus crimini dandum est. huc pertinent § 9, 22, 30 *εἰ βούλοιτο* — 31 *πινομένους*, 46 *τοῦτο ἔμοιγε* — *ἀγκυλομήτεω* § 7 s. f., 118 praecipue praeter alias minoris momenti.

Iam ad finem pervenimus, et quamquam de singulis dubitari potest, tamen egregium exemplum or. III est, quo doceatur, quomodo Dio scripta sua composuerit. qua de re cum operae pretium sit accuratius agere, pauca solum hic addere mihi liceat. Dio enim (neque aliter egit Plutarchus, ut de Wilamowitz nuper exposuit) [2]) de singulis vitae humanae rebus ea, quae aut apud alios scriptores legit aut ipse sibi excogitavit, collegit. ex his collectaneis, cum orationem composuit, eam conscripsit. cuius rei exempla non solum in tertia oratione inveniuntur (cf. e. gr. nobilem illum de Iove locum),

---

1) Animadverte § 84 iisdem verbis concludi, quibus § 61.

2) *Göttinger gelehrte anzeigen 1896. IV.*

sed hic illic per orationes cognosci possunt, cf. or. LXV. oratio autem tertia praetor ceteras idonea est, qua hic Dionis mos illustretur, quoniam in ea Dio ipse indicare videtur se collectaneis uti, cum dicat § 49: *τούτων μὲν οὖν ὁ λόγος ἄλλως ἐπεμνήσθη, πολλὰ παθήματα καὶ συμφορὰς ἑκάστης αὐτῶν ἐκ τοῦ πρότερον χρόνου δεῖξαι δυνάμενος*, et paulo infra: *πολλαὶ μὲν οὖν εἰκόνες ἐναργεῖς καὶ παραδείγματα*, quasi ex iis unum exemplum eligat. quomodo autem factum sit, ut orationum III et LXII partes eo ordine nobis traditae sint, quo eas tenemus, mitto quaerere.



Index locorum accuratius tractatorum.

(*) His locis agitur de codicum lectione.

Index potiorum rerum.

Vita.

Natus sum Iohannes Max Emanuel Wegehaupt Vratislaviae Non. Sept. anno h. s. LXXII patre Guilelmo, hoc tempore gymnasii Hamburgensis, quod ab Imperatore Guilelmo I nomen ducit, rectore, matre Eugenia e gente Seidelmann. fidei addictus sum evangelicae.

Primis litteris ludo publico Monacho-Gladbacensi imbutus per paucos menses eiusdem urbis gymnasium adii, tum per novem fere annos Neovedae frequentavi gymnasium, cui per idem tempus pater praeerat. vere anni XC maturitatis testimonio instructus primum per ter sex menses Kiliae, deinde per annum Vratislaviae, tum ad extremum Gottingae studiis cum germanicis et archaeologicis tum philologicis operam cum dedissem, exeunte anno XCV ad summos in philosophia honores capessendos examine perfunctus media huiusce anni aestate examen pro facultate docendi rite absolvi.

Docuerunt me viri doctissimi Blass, Bruns, Busolt, Cauer, Deussen, Erdmann †, O. Rossbach, Wolff Kilienses; Caro, Foerster, Hillebrandt, Kaufmann, A. Rossbach, Skutsch Vratislavienses; Bechtel, Dilthey, Gercke, Heyne, Kielhorn, Leo, Müller, Roethe, Schulze, de Wilamowitz-Moellendorff Gottingenses. regii philologorum proseminarii sodalis fui per senos menses Kiliae Vratislaviaeque, per annum Gottingae, seminarii

item Kiliensis et Vratislaviensis per senos, Gottingensis per ter sex menses, praeterea regii proseminarii germanici Gottingensis per annum, seminarii per ter sex menses sodalis, seminarii archaeologici Vratislaviensis per sex, Gottingensis per ter sex menses. ad exercitationes philologicas Skutsch et W. Schulze, metricas Leo, germanicas Erdmann et Wolff, archaeologicas A. et O. Rossbach, praecipue vero Dilthey, Sanscriticas Kielhorn benigne me admiserunt.

Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas, praeter ceteros vero Friderico Leo et Udalrico de Wilamowitz, qui studia mea auxerunt et consilio et auxilio benigne me adiuverunt; summa eorum erga me merita semper grata memoria prosequar.



Druck von Friedrich Andreas Perthes in Gotha